



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Majus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



M A J U S.

S. PHILIPPVS &
JACOBVS Apost.

i. Maii.

Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi à patre meo, nota feci vobis. Joahn. c. 15.

Geminio dies hic sole nitet. PHILIPPVS Galter, alter JACOBVS est. Ille vix inter hominum piscatores adlectus, capti illi cò Nathanaelem ad Christum adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & ij, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad JESVM aditum sibi per PHILIPPVM quærebant. illum in consilio Magister habuit, cum ingenti multitudini commensuram pararet: illo rogante, Discipulis ih Filio Patrè ostendit. Hinc cum ih sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse nactus Seythiam, tam facile Christo subegit, vices

V

torque

tosq; sub annum IV. & Hierapoli urbe Phry-
 giæ in cruce triumphavit: cum lapides viles
 jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO trium-
 phalem coronam multò pulcherrimè exor-
 narent. Et hujus quidem triumphus de Bar-
 baris, de Judæis IACOBI fuit. Hic & viro
 à teneris sibi interdixit: longâ precandi con-
 suetudine genibus calium obduxit, qui vel
 Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit,
 ut ingredi in sanctiora templi adyta uti li-
 ceret, & vel oram vestis eius prehendere, pat-
 tem felicitatis ducerent. Ita rem Hierosolymæ
 Christianam cum XXX. annos administra-
 set, anno partæ salutis LXIII. vitæ XCVI.
 templi fastigio dejectus. & inter preces, quas
 pro hostibus suis faciebat, fuste fullonis est
 cæsus, ut jam me dubium uterq; hic Sol fa-
 ciat, Orbine luxerit, an Cœlo occiderit
 pulchrior. *Ex Brev. rom.*

M E D I T A T I O

In vitam SS. Philippi & Jacobi.

I. **H**I duo sancti ad Apostolicam dignitatē vo-
 cati sunt, prædicarunt Evangelium, & ve-
 ritatem Christianæ fidei proprio sanguine confir-
 marunt: vocanti Deo uterq; paruit, in neutro va-
 cua fuit gratia Dei: & uterq; imitatus est Christum
 patientem

patientem. A tanto tempore vocat te Deus, voce
ejus audis, nec tamen pares: tot offert occasiones
agendi ac patiendi, quomodo iis uteris? Si dolere
possent Beati, dolerent profecto quod dimiserint
occasiones agendi & patiendi pro Christo.

2. Ubi primum S. PHILIPPUS Christianus factus
est, ejusdem boni Nathanaelem participem voluit,
eum enim adduxerat ad Christum. Si Deus aliquam
facultatem tibi dederit procurandae alienae salutis, ne
frustra eam acceperis. Suggere pia consilia amicis,
domesticis. An id agis? An non contra, multos
offendis pravus verbis, & solutiore vivendi ratione?

3. S. JACOBUS justus credebatur, ac dicebatur ab
ipsumet, qui necem illi intulerunt. Orationibus,
modestia, duriori vitae genere hoc justum nomen me-
ruerat. An bene audis ab hominibus? sciscitare ab
amicis. Audi exprobrationes inimicorum, & detra-
he materiam exprobrationi: sed in primis attende,
quo in loco sis apud Deum: ausculta vocem consci-
entiae tuae. Si publica fama te non damnat, propria
*conscientia condemnat, quoniam nemo potest
seipsum fugere. Bern.*

**S. ATHANASIUS
EPISCOPVS**

2. Mail.

Beati estis, cum maledixerint vobis

V 2

homines

*homines, & persecuti vos fuerint,
& dixerint omne malum adver-
sum vos, mentientes propter me,
Matth. 5.*

NON raro pueritia toti vitæ præludit.
Ita ATHANASIVS Alexandriæ inter lu-
sus adolescentiæ puer à pueris in Episcopū
lectus, natu deinde grandior ab ipsomet
cælo est confirmatus. Difficile est dictu,
quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit.
Producta in medium concilium muliercula,
vim pudori suo illatam mentiebatur ab A-
THANASIO, quam ne noverat quidem. Hic
alius nonnemo & suppetias laturus inno-
centiæ, ideoque ATHANASIVM sese assimu-
lans; heus, inquit, egone vitium tibi feci?
mox illa; tu verò ipsissimus. Ita cum & se
& impietatem omnium risui exposuisset,
exclamant Ariani occisum ab ATHANASIO
Arsenium (quem eam ob rem illi aman-
daverant) proferuntque manum velut
incantationibus ab eodem devotam. Sed
in tempore amici innocentis reduxerant
Arsenium. Is itaq; in templum progressus,
vitaque suæ ipse testis ostendit, se quidem
utramq;

ueramque manum, ceterum accusationem
nec caput nec pedes habere. Exul nihilo-
minus sæpè ATHANASIUS totum penè orbē
pererravit. Annos in cisterna quādam lati-
tavit V. indeque in impios calamo egregiè
pugnauit. Fugienti cum hostis instaret,
navim vertit, jamq; obuius quarenti, num
ATHANASIUM vidisset, respondit, non
longè illum abesse. Ita rectà Alexandriam
reversus, in patrio conditorio inter mor-
tuos quatuor menses vixit, inter vivos de-
inde mortuus Anno CCC LXXII. nunc
inter mortuos iterum vivit. *Ex Surio.*

M E D I T A T I O

De persecutionibus.

1. **D**Eus permittit, ut servi sui vel fidelissimi
persecutionibus probentur; tum ut experi-
ent leuia quædam peccata, tum, ut majus præmi-
um accipiant, tum denique, ut cautiores
facti, rebus prosperis non insolescant. In om-
nibus persecutionibus Deus gloriam suam & ani-
mæ tuæ salutem quærit; eas itaq; non querulo, sed
grato animo patiaris. Deus mala immittit, quòd
bona neglexeris; æquum est, ut, qui beneficiis non
intelligitur, plagis intelligatur. *Cyprian.*

2. In omnibus accusationibus, vide, utrum ob-

V 3

p. 314

20) 218. 602
jecta tibi crimina commiseris. Si factorum premaris conscientia, veniam pete a Deo. Dole, non quod acculeris, sed quod aliquid commiseris accusatione dignum. Deo gratias age, quod ope inimici tui vitium cognoveris, cuius ignorantia morte animæ illatura erat.

3. Si falso accusaris, si propter bonam aliquam actionem vexeris; & lætari, & grates Deo referre debes, quod patiaris propter iustitiam: Ne sis admodum sollicitus de objecto crimine: serius, ocius illud diluet Deus. In persecutionibus tuis memento, quod sæpè filios patrum familias per nequissimos servos emendari juberet, cum illis hereditatē, hinc coheredes præpararet. Aug.

INVENTIO S. CRUCIS.

3. Maii.

*Qui non accipit Crucem suam, &
sequitur me, non est me dignus.*

Matth. 10.

GAudent alii crucem, quam cœlum
mittit, missam amittere; at amissam
olim Christi crucem invenisse hodie se gau-
det Helena & triumphat. Rei gestæ ordinem
hic habes. Latebat crux terrâ, plus odiis
Judæorum

Judæorum sepulchra. At Helena, cum primum
 filius Constantinus Maxentium debellavit,
 Crucis sanctissimæ auspiciis; quò grata fo-
 ret, omni ingenio viribusque eruere defos-
 sam, orbique adorandam proponere conten-
 dit, tunc demùm credens thesaurum se re-
 perturam, sive Crucem. Ita locus à supersti-
 tione primum purgatur; & infame Veneris
 stabulum statuaque dejicitur: mox humus
 altè egeritur: tandem tergeminae Cruces
 parent, & ponè titulus Crucis refixus. In ip-
 sissimas auri venas offendisse Helenam cre-
 didisses. Minuebat tamen lætitiã publi-
 cam illud, quòd, quanam ex tribus Serva-
 toris Crux foret, sic nondum constaret. Sed
 opportunum consilium Macarius urbis Epi-
 scopus suggestit, jussitque ordine singulas mo-
 nenti tunc fortè mulieri imponi. Pergebat
 illa ad primæ contractum mori, itemque ad
 secundæ, ad tertie denique incolumis revixit.
 Huic Helena templum struere dignum ma-
 gnificentia suã, Crucemque, hoc est aurum,
 argento includere, partem quoque unã cum
 aulario (clavis ejusdem) ad Filium Imp.
 transmittere, regium utique donum. Agno-
 vit ille signa victoriarum suarum & summè
 veneratus toto imperio edixit, ne qua res

sera salutis foret omnibus, posthac impro-
 borum foret supplicium. Clavorum altero
 diadematis frontem, altero franos Impera-
 torios ornauit, certus maiores nobilioresq;
 uniones neque Indiam posse submittere.

Ex Brev.

M E D I T A T I O

De triplici genere hominum,
 qui inueniunt Crucem.

1. **P**lures non quærunt, sed fugiunt crucem, quos
 tamen crux sequitur, & assequitur; in eo ge-
 nere sunt peccatores voluptatibus dediti; illi enim
 delicias, & felicitatem semper quærunt, sed nun-
 quam inueniunt; unde hoc? ex eo sanè, quod,
 qui Deum non quæserint, nunquam felices, con-
 tenti erunt, sed cupiditatibus suis semper crucia-
 buntur; quin etiam Deus ipse afflictiones immittet;
 ut, cognitâ rerum creatarum miseriam, redeant ad
 Creatorem. *Nemo probro suo potest esse felix, quia, ubi
 non est vera honestas, non est vera felicitas.* Saluianus.

2. Alii quærunt, & inueniunt crucem, illi nimi-
 rum, qui incipiunt Christo seruire, quorum cum
 animus adhuc imbecillior sit, quàm, qui omnes la-
 bores alacriter superet, affliguntur illi quidem, &
 gemunt sub pondere. *O vos felices! si cœptum
 crucis iter constanter teneatis.*

3. Viri sancti ardentem quærunt, nec inueniunt
 crucem

crucem. **AMPLIUS**, ait **S. XAVERIUS**, **AMPLIUS**.
Sancta verò **Theresia**: **AUT PATI**, **AUT MORI**. Am-
bo tamen, ut **S. Paulus**, superabundant gaudio in
tribulatione, propter longū patendi usum, propter
ardentiorē in Deum amorem, propter cœlestes
consolationes, quibus afficiuntur. *Dum beatam qua-
runt vitam, beatam agunt, & dum adhuc ambiunt,
iam consequuntur.* **Eucher.**

S. MONICA Vidua.

4. Maii.

*Filia Jerusalem, nolite flere super me,
sed super vos ipsas flete, & super
filios vestros. Luc. 23.*

HÆc est illa **MONICA**, quæ **Augustinum**
His genuit, orbi primū, deinde cœlo,
secundo, quā primo partu felicior, dum
filio pietatem, alteram hominis animam,
quam cum lacte instillare non potuit, plo-
rando infudit. Hæresis **Manichæa** mortalissi-
ma humani generis peste perierat **Augusti-
nus**; Mater sic mortuo affundere lacrymas
non ante destitit, quā **Episcopi** oraculo
recreata est spondentis, *Fieri non posse, ut filius
suarum lacrymarum periret.* Vim nimirum facie-
bat

bat Deo (uti Augustinus postea jam renatus loquebatur) *cor contritum & humiliatum vidua casta ac sobria petensq; ab eo non aurum & argentum sed salutem animæ filij sui.* Cujus illud primum indicium fuit, quod Ambrosio acquiesceret, & destillante ab illius viri ore Ambrosiâ pasceretur, quem proinde non immeritò ut Angelum Dei MONICA diligebat; quando verò idem est boni Præceptoris, quod Angeli officium, etsi non eadem utrique dignatio impenditur. Compos tandem facta voti sui, & Augustino in tantas succrescente spes, negavit longiore sibi vitâ opus esse, desiderium cæli ad Ostia Tiberina filio professa, cum diceret, *Fili quantum ad me astinet, nullâ re jam delector in hac vita, immorari cupiebam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neq; multò post terris excessit, hoc unum precata à filiis, ut ad Domini altare sui meminissent. Nos illam suspiris repetimus normam & exemplar Matrum omnium; nam hodie plerq; non pereuntibus filiis, sed ad Deum abeuntibus lacrymantur, eosque diligendo occidunt

Ex operibus S. Augustini.

M E D I T A T I O
De privatione spiritualium
consolationum.

Deus

1. **D**EUS nonnunquam permittit, ut amici sui *de-*
re- xuantur ac nudentur omni prorsus solatio,
 ut nec ipsa quidem oratione conquiescant. Cum
 hanc privationem ac fastidium experieris, ne fran-
 gatur animus tuus, id quippe videt, id permittit,
 atq; immittit Deus. Tunc recordare, Christum in
 horto Getsemani ad mortem usq; tristem fuisse, &
 in Calvario monte a Patre derelictum. Dic Deo,
 ac Patri tuo: Pater mi, fiat voluntas tua: Patiar
 quantum, & quamdiu volueris.

2. Ideo permittit Deus, te consolationibus pri-
 vari, vel, ut puniat teporem tuum: vel, ut osten-
 dat teneriorem pietatis sensum, quò prius afficie-
 bare, merum Dei donum esse: vel, ut pluris facias
 has consolationes, quas aspernareris, si frequenti-
 ores essent: vel denique, ut tibi merendi præbeat
 occasionem. Quære ardentè sponsum tuum, qui
 abscondit sese, ut probet amorem tuum. *Abscondit*
se ergo sponsus, dum quaritur, ut non inventus, arden-
tius quaratur. Gregor.

3. Ut reddatur tibi lætitia salutaris, observa, quid
 causæ sit, cur Deus eam abstulerit: veniam postula:
 abjice te coram Deo: profiteri indignum esse te
 beneficiis ejus. Ardentius incumbere in solita pie-
 tatis officia; dolens ac gemens quære, quem dili-
 git anima tua. Dic ipsi cum Augustino: *Quare*
faciem avertis gaudium meum per quod gaudeo? ubi es
absconditus pulcher, quem desidero?

S. HILARIUS

S. HILARIUS Episc: Conf:

5. Maii.

Vnusquisque prout destinaverit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Corinth 9

Licentius vivere hilaria visus est HILARIUS sensuum inconcessâ libertate iuventam exigens; at velut vititor serpentes humi vites palo alligans erigit, & luxuriantia sarmenta crinesq; falce distringit, sic HILARIUM Honoratus Abbas ad suum Lirinense Monasterium adducens adeo resecta omni libertate, virtute illustrem reddidit, ut mores aliorum heroâ virtute excedens, omnibus præiret exemplo, ipsiq; Honorato magistro suo, ut succederet Abbas, communibus suffragiis nominaretur, inde paulò post ad Arelatensem Pontificatum, quantumvis diu resistans, columbæ indicio, velut cœlesti augurio est erectus. Quo in officio, non cessavit labore manuum iuvare pauperes, nunquam sine prævia pii libelli lectione cibum sumere solitus est. Oratione suâ dissoluto vitæ emendationem à DEO obti-

nuit.

nuit. Cum S. Augustino erat ei litterarum
 commercium, pro quo etiam contra Pela-
 gianos generose pugnabat: jura Ecclesie
 cum acrius defendisset, cessit deinde, & ut
 bonæ mentes solent, se reum nimii fer-
 voris apud Pontificem accusavit, quem
 zelum utinam ampliolem haberent, qui
 frigidi, metu potentiorum, neglectis sa-
 crorum juribus prævaticatores fiunt.

Ex Martyrol. Galli. o Suszari Suffrenus.

M E D I T A T I O

De gaudio spirituali.

1. **H**ilari animo Deo servias: nam solent homi-
 nes Dei bonitatem laudare, cum servos e-
 jus lætos, ac hilares conspiciunt; imò ad pie viven-
 dum ipsi excitantur, cum intelligunt, facilius ac sua-
 vius esse, quam putant, Deo servire: tibi utique
 hæc hilaritas admodum utilis erit; non enim gra-
 vat onus, quod hilari animo gestatur. Latere in
 Domino semper, ut omnes cognoscant, te non ex
 necessitate, sed ex animo ipsi servire.

2. *Vix nusquam esse tristis bene vive!* Eluc sordes
 conscientie: Tristitia cum cæteris malis per pecca-
 tum in mundum intravit. Ubi nullum peccatum,
 ibi nulla, vel certè brevis tristitia, Bonæ consci-
 entie merces jure gaudium; supplicium verò præ
 jure tædium, jugis mœror, jugis tristitia, Ne con-
 cupiscas

cupiscas peccatorum felicitatem: nam nihil infelicitatis
in felicitate peccantium. Aug.

3. Ut lætitiã Spiritus foveas, augeasque, Deum
 attende & Paradisum. Memento, Deum spectare
 tuos labores, æternamq; coronam tibi preparare.
 Splendeat in vultu hæc lætitiã, dum alios alloqueris.
 Scito, tristitiã virtuti admodum contrariã esse;
 lætitiã verò lætitiã valere plurimùm, tum ad vin-
 cendos, tum ad fugandos omnes inimicos animæ
 nostræ. *Nullam armatura genu est validior, quam
 gaudere ferendum Deum.* Chryost.

S. JOANNES DAMASCENS.

6. Maii.

*Tu scis, quia falsum testimonium
 tulerunt contra me.* Dan. 3.

ETiam hic JOANNES, cui Patria Damascæ.
 No nomen fecit, inter Virginis cultores
 in paucis est numerandus. Cum autem Sa-
 tacenorum Duci à consiliis esset, calamum
 interim in Leonem sacrarum imaginum ho-
 stem strinxit, pulchrum existimans pro Ma-
 tris capite manum suam obicere. Nam
 eum literas commentus impius esset Imp-
 rator

rator, velut ab ipso JOANNE scriptas, quibus
 Damascum prodere cogitaret, easq; Sa-
 raceno transmisisset, dexteram hie scilicet
 detruncavit innocenti. Sed precanti, &
 ante icona Deiparæ familiaritius quærenti,
 quod ad pugnandum pro ipsius, & Filii ho-
 noris inermis jam esset, ecce tibi auxiliatricem
 manum Virgo porrigens, dextram integra-
 rimam restituit, relicta solùm in miraculi
 vestigium lineam rubentem, quam rectius ar-
 millam nos dicemus. Hinc JOANNES sapi-
 entia sanctioris rudimenta inter Anachore-
 tas discere aggressus, magnum brevi pro-
 gressus fecit. Fiscellas enim in patria iustus
 vendere, risui scilicet fuit, qui nuper omnium
 admirationi erat. Jam sordes omnes in cœ-
 nobio, illam, illam non tam suam quam Virgi-
 nis manu iustus purgare, non dubitavit
 imperio obsequi. Quate manum tam no-
 bili victoria splendidam, calamo denuò ipsa
 cœli Imperatrix MARIA armavit, scripsitq;
 illa, quæ hodieq; orbis universus mitatur.
 Sed nimirum quæ reddidit, etiam texit
 dexteram. *Ex 10. Patr. Hier.*

M E D I T A T I O

In vitam S. Damasceni.

Non

1. **N**ON potuit Isauricus LEO, ferox bellua aliter discerpere iusto stylo perstringentem sancti scriptoris impollutam manum, quam cruenta amputatione: postquam commento criminis fidi-ssimi consilarii omnis naevi expertem candorem apud Saracenum Ducem denigravit. Hoc carbone mundus foedare solet eos, quos iuste adversantes sibi experitur, & quorum calamo errata sua dederetur. Sed tu ne metue mundi horam in candore tuo. Felix jactura manus illa fuit, quae ideo abscissa est, quia impium scandalizavit, non autem iustum & rectum, S. Hieron. *Ab Ecclesia incunabilis non defuit iniquitas premens, & iustitia patiens.*

2. Manus post amputationem S. Damasceno restituta, quoad vixit, in vestigium miraculi sanguinea lineam velut armillam ornata fuit. Ita Deus in resurrectione corporum speciali honore & gaudio ea membra afficiet, quae plus compassa sunt, cum Christo patiente. Quid adeo immemor hujus remunerationis blandiris delicatule membris lutei corporis tui, nec cogitas, quod incorruptibile hoc aliquando induat incorruptionem?

3. S. Damasceno Beatissima Deipara manum integram restituit: hanc cole, haec tibi manum porriget auxiliarem in necessitatibus, ductricem in dubiis & perplexitatibus, pugnatricem & victtricem in tentationibus, nunc, & si devotè colueris, in hora mortis:

S. STANIS

S. STANISLAUS Martir

7. Maii.

Testimonium perhibente verbo gratia sua, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. Act. 14.

Justitia Præsides multos habet, Patronos
 paucos. STANISLAUS adeo Cracoviensis
 Antistes mortuum citare testem coactus
 est, ne optimâ causâ caderet. Prædium à
 Petro viro nobili emptum, fraude amico-
 rum ejusdem propè perdiderat, nisi illum
 ipsum Petrum trienio ante defunctum ad
 judices redivivum adduxisset, quem nemo
 vel instabilem ausus est dicere, vel refuta-
 te. Virorum severus vindex semper audit;
 ignarus regulam flectere, seu pauperum
 tabernas, seu regum Palatia metiretur. In
 omnem peccandi licentiam Boleslaus Rex
 protulerat, quem nequicquam Stanislaus
 piorum tribu movit. Non erat Rex huius
 probro concoquendo; sed vindictam spi-
 rans, satellitibus ad aram stantem; victi-
 mam objicit, iisque tertium divinâ virtute
 vim asferre prohibitis, ipse carnificis mu-
 nus

nus occupat, & laniati à se Antifistis mem-
 bra dispergit. Damnarunt crudelitatem
 quatuor aquilæ, perpetuis excubijs Reli-
 quias tutatæ; donec miraculo cælestique
 luce exciti mortales, eas in urnam compo-
 nendas legerunt. Juvit pietatem divinâ
 manus, lacerosq; inter se artus ita colligavit,
 ut nullum crudelitatis vestigium superesset.
 Non sustinuit impius Rex tam luculentam
 insanix suæ exprobrationem; sed regnum
 exilio mutavit, omnium hominum odium,
 cum Stanislai triumphum etiam Aquilæ
 auferent. *Ex Suvio.*

M E D I T A T I O

De periculis mundi.

IS, quem suscitârat STANISLAUS, iterum mori
 maluit, ac Purgatorios ignes repetere, quam
 diutiùs versari in periculo salutis; nec injuriâ, liqui-
 dem salus periclitatur in omni arte, ætate, conditi-
 one. Cave tibi, semper advigila. Si tibi adhuc
 integrum sit, vivendi genus eligere, elige tutiùs,
 & remotiùs ab occasionibus peccandi.

2. Nullus est locus, in quo peccare non possis: In
 ipso terrestri Paradiso Adam peccavit, peccarunt
 Dæmones in cælo: Admittuntur peccata in urbi-
 bus, in solitudine, in pastorum tuguriis, in pala-
 tiis Regum, in templis, ac ædibus Deo consecra-
 tis.

tis. Ubiq; dæmonem, ubiq; te ipse invenies. Quid vitam hanc tam lubricam amas? Quid placent tibi maris hujus procellæ? Quid securus dormis, tamen nescias, utrum naufragium facturus sis, an feliciter ad portum venturus?

3. Ut mundi periculis expediaris, recede ab hominum turbâ: Ama solitudinem: nam solitudo parens est, nutrix, ac conservatrix virtutum. Si ab hominum consuetudine semper abstinere non possis, abstine quàm poteris sæpissimè. Memento denique, Deum esse ubique, ac singulas actiones tuas videre. *Si peccare vis, quare, ubi te non videat Deus, & fac, quod vis.* August.

S. AMATUS Conf.

8. Maii.

Et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit. Jerem. 9.

AMATO Saludecium patria fuit. Parentibus in tenera ætate amissis, multa tulit fecitque Puer & Adolescens, etiam viris imitanda. Amor castitatis prima illi bella excitavit, sceminâ classicum cantante, proprio sexûs sui genio. Ea fratri Amati

X 2

nupta

nupta, filiam quam priore conjugio tulerat, cum Amato sponsam obtuderet, repulsam ultimis odijs ulta est, exiguo tamen Amati incommodo, deputantis in lucro, si virtutis causâ nomen suum amitteret, fieretque exosus: Numinis tamen benevolentiam omnibus officijs captavit, in pauperes tam prodigus, nihil ut sibi relinqueret, sed locatâ promiscuè operâ famem sustentaret: in emaciato nihilominus corpore, flagro ferreo non modò memoriam, sed imaginem Christi patientis renovabat; hoc quoq; illius assecutus, ut pro malefano habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed despectum orbi, cœlum ad se rapuit, tam familiariter quidem, ut inter castas preces evolantem ad Superos animum, etiam corpus sequeretur. Crescentem eo miraculo Amati famam frater fœdo crimine sugillavit; stupri commercium ei cum Clara sorore Deo sacratâ affingere ausus. Sed ambulanti in jus Sol absolvit, abollam ejus intercipiens, suisque radiis sustentans. Iisdem illustrata Amati est sanctitas; sed ille proditorem suum fugiens inter sacras peregrinationes consenuit; in hospitali deniq; pauperum domo, quam suis impensis

impensis crexerat, mortuus. Corpus nondum
extabuit, suaq; integritate fratris calumniam
etiam in tumulto refutat. *Ex Phil. Ferrar.*

MEDITATIO

*De fiducia Dei in mundi
fallacijs.*

Etiam Inimici hominis domestici eius. Hoc expertus
in fratre suo S. Amatus, quid confidis homi-
nibus? qui plerumque vel nequeunt vel nolunt
opem ferre. Inconstantes sunt suis servientes bonis.
Nullus eorum est, qui si à bonis terrenis discesseris,
quicquam tibi dare possit: Attamen tam multum
temporis absumis in comparandâ eorum benevo-
lentiâ, & tam parum ponis in conciliandâ amicitia
Dei, qui solus paradiso donare potest. Huic confide
plus, quàm omnibus. *Cum mundus abest, Deus adest.*
Chrisolog.

2. Deo confide in pugna carnis & cum S. A-
mato carnis triumphabis illecebras, nec credere
potes, in quacunq; tentatione ab amantissimo
Domino tuo & te derelinqui posse, qui vult te
salvum facere, quid ni saluti necessaria concedet?
Examina quid speras, quid postulas à Domino?
*Multi de Deo sperant pecuniam, & aliud quodlibet, præ-
ter ipsum Deum: tu ipsum Deum tuum pete. S. August.*

3. Radij solis innocentiam S. Amati mundo
conspiciam fecere, tu confide Deo, si Joseph es,

337. (050)
si Susanna es, si Naboth es, inter criminationes
Deus est, qui illuminabit abscondita. Nudabit de-
tractâ larvâ mendacium & illustrabit veritatem.

S. GREGORIUS NAZIANZEN.

9. Maii.

*Sint lumbi vestri præcincti & lucer-
nae ardentes in manibus vestris.*

Joann. 16.

GREGORIUS à patria NAZIANZENUS, ab
eruditione postea Theologus dictus,
cum studiorum causâ Athenas peteret, gra-
vi tempestate jactatus, proximè ultimum
vitæ discrimen fuit. Quis credat, quò felici-
tatis venti secundi nunquam tulissent, ad-
versè tulerunt. Cum enim vovisset, si ex his
undis emergeret, sanctioribus Baptismi aquis
caput mergendum, & vitam inter Religiosos
acturum, illicò, cælum arrisit, & damnatus
voti Georgius navim non tam ad terram,
quàm ad cælum appulit. Porro Athenis com-
moranti, uno eodemque tempore & Casti-
tas & Sapientia visendam se dederunt, & a-
mantli.

manti ambæ lubentes nupserunt puro, ut
 arguerent juventutem nostram, quæ sine
 animi puritate Sapientiam ducere nequic-
 quam allaborat. Exinde ut in studijs & legi-
 bus monachorum condendis, ita etiam in
 bello contra Arianos Magno Basilio socius
 fuit; ausus in ipsum Julianum, in quo ado-
 lescente etiamnum Athenis tyrannum late-
 re edixerat, palàm & scribere, & dicere, sæ-
 vientis vulgi & saxa in se conjicientis cla-
 mores velut plausum accipiens. Sed & Pon-
 tificem jam Byzantinum sicario ab hæreticis in
 necem suam subornato, facilis veniam de-
 dit: post tamen gravibus iterum seditionũ
 fluctibus agitata, missâ urbe ac insulâ, in vil-
 lulâ patriâ malaciam, in morte denique an-
 no CCCLXXXIX. portum reperit.

Ex Greg. Fresh. apud Surium.

M E D I T A T I O

De bono exemplo.

1. **E**Sto aliis bono exemplo: sit lucerna ardens in
 manibus tuis: rectè factis Dei amorem ac-
 cende in aliorum animis; si secus feceris, si malo
 exemplo offenderis proximum, gravis te manet
 pœna. Quid offendis fratrem tuum, cujus causâ
 mortuus est Christus? Quid pravo exemplo viam

X 4

ipſi

ipſi facis ad infernum? S. Franciſcus ſoã modeltiã,
& Apoſtoli, plures adjunxerunt Chriſto patientiã
ſuã, quã verbis: quamvis eorum verba igne di-
vini ſpiritus accenſa forent.

2. Cũ vides aliena peccata, vide, utrum iisdẽ
peccatis obnoxius ſis: Si nil tibi conſcius es, habe
Deo gratias, & perpende gravitatem horum pec-
catorum, ut illa deteſteris: peccatorum gravitatem
ac turpitudinem facilius in alio cognoſces, quã in
te ipſo. Fuge occaſiones, in quibus peccavit:
Diſce ſapere periculo alieno, ac cautior eſſe.

3. Inſpice tot pios homines, unde potes virtutũ
exempla petere. Quot vides, qui pro amore Dei
durum & abjectum vivendi modum tenent? quot,
qui indefeſſo labore ſuã ac aliorum ſaluti vacant?
quot, qui neglectã inuutilium ſcientiarũ vanitate ſoli-
tudent ſcientiã ſalutis? Quot deniq; adoleſcentulas
& adoleſcentulos, qui aſſiduis laboribus ad cœlos
rendunt? Dic cum S. Aug. *Surgunt indocti, & ra-
piunt cœlum, & nos cum doctrinis noſtris in carne volu-
ramur, & ſanguine.*

S. JOB, Propheta.

10. Maii.

*Theſaurizate theſauros in cœlo,
ubi neq; arugo neque tinea demo-
litur, ubi fures non effodiunt nec
furantur. Matt. 6. Theſ.*

Thesaurum eruo, longissimo à tempore
 in terra Hus defossim. Virum non
 martyrem modò, sed, Chrysofomo iudice,
 virtute & meritis Apostolis parem. JOB,
 inquam, patientiæ exemplar. Hic ex Rege
 Idumæorum, decem prolium patre, opum
 potente, palatiorum incolâ, famulitio cre-
 bro spectabili paucarum horarum metha-
 morphosi, improlis, egens, desertus, in fi-
 meto sub dio, bonis spoliatus omnibus,
 morbis obrutus & ulceribus, dæmone tor-
 quente, DEO permittente, speculum orbi
 propositus est, cuius intuitu erubescant de-
 licati, solatia accipiant afflicti, & sperent
 spoliati, erigantur contempti. Sepultæ rui-
 nâ proles ei omnes, ablata pecora, mactati
 servi, incensâ tecta, sublata sanitas, superest
 uxor, quæ exprobrat, pauci amici, qui dam-
 nant; sterquilinum, quo, lecto & ædibus
 ejectus, in sordibus computrescat. At, peri-
 erint omnia, Perstat invicta patientia, lau-
 datur à JOBO, in bonis & malis semper bo-
 nus, DEUS, qui abstulit, ait, ante dedit: su-
 um repetiit Injuriam facio, si iustitiam non
 laudo. Sic JOB, qui credebatur desperatus,
 devicto dæmone, superior malis omnibus,
 ex cinere, ut phœnix, revixit. Redit sanitas,

Duplicantur pecora, recrescunt opes, honor
& potentia restituntur & amplificantur, sed
& posteritatem in quartam generationem
vidit, & talis inter Ethnicos, tam bonus,
simplex & rectus inter malos JOB fuit, &
velut aurum in igne probatus est; tu in me-
dio justorum malus, quid murmuras, si
adversis te DEUS ad meliora excitat.

Baronius ex libro job.

M E D I T A T I O
De bonis hujus mundi.

1. **D**ivitiarum, voluptates, honores, & cetera hujus
mundi bona expeti minimè debent, cum
nullum efficiant meliorem. imò sint criminum fe-
rè omnium instrumenta. Modestior, frugalior, ac
castior esses, si pauperior. Langueret plurimarum
virtutum usus, nisi excitaretur afflictione, morbo,
contemptu.

2. Non expletur animus his bonis levibus ac im-
perfectis: sed, qui plus habet, plus cruciatur, sive
augendi curâ, sive amittendi metu. Age, an unquâ
vel in secundissimis tuis rebus omnino fueris con-
tentus? An unquam perceperis voluptatem, quam
fastidium & dolor statim non exceperint? Mundi
suavitas semper amaritudine aspergitur, nec ulli li-
cet ejus rosas impunè colligere. Salomon nullis
non indulserat voluptatibus, & ait: *vanitas vanita-
rum, & omnia vanitas.* Ergo.

Ergo quare thesauros in cælo; non vani sunt illi quidem, nec ærugo eos demolitur, cordis ex- plent immensitatem, tuti sunt ab invidis, & furi- bus. Nos rident Angeli, cum observant, tantum sudare nos ædificandis luteis domibus, quas brevi sumus relicteuri, dolent utique quod voluptatibus, nobis, animantibusque, communibus, delectemur. O Christiane spera, pete sublimiora; Cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecori; erige spem tuam ad bonum omnium bonorum. Aug.

S. GANGVLPHVS CONFESS:

II. Maii.

Conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod datrahunt, vobis confundantur. 1. Pet. 3. 16.

GANGVLPHO Dynastæ Burgundo, corporis, animi, quæq; fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorum omnium malâ Uxore con- sultandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatē, etiam foedis amoribus indulsit, quos denique fons prodidit, & hoc, & alijs prodigijs illustris. Gangulpho in Campania
X 6. pram.

prudenti simplicissima ad speciem quaestio excidit, quanti fontanam, cui assidebat, hospes aestimaret; sibi enim oppidò allubescere: hospes delirium interpretatus, pretium tamen statuit. Gangulphus aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam, fons, inaudito miraculo eum sequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, seriò jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare Gangulphus uxorem iussit, absoluturus eam, si id impunè fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera: sed brachium velut ex Vulcani ollâ scødè ustulatum retulit; nullo tamen præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium redijt, & deniq; adulterio parricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prò pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo deiecit. Gangulphum miracula Divis exæquârunt; quæ cum adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, litteræ erubescunt.

Ex Suetio.

MEDIT

MEDITATIO

De studio bona conscientia & Deo
& hominibus satisfaciendi.

Nihil non metuendum est malæ conscientia; quando & Gangulphi pietatem & uxoris improbitatem fons prodidit. Conscientia tua primo satisfacias, huic tanquam moderatrici in omnibus actionibus tuis obtemperare debes, si votanti resisteris, cordis tranquillitate & interiore pace & securitate nunquam gaudebis. Si Deo & conscientia tua feceris satis, ne sis sollicitus de vanis hominum sermonibus, *si tibi est testis in caelo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt.* Greg.

2. Deus salvum te vult facere. In hoc primum, in vigilent curæ & cogitationes tuæ, ut Deo placeas, itaq; nihil feceris contra Dei præcepta, hujus unius indignatione metue. Quid profunt laudes? quid hominis honesti ac urbani nomen? quid benevolentia? Si contemnat & odio habeat Deus, cui animæ tuæ turpitude cognita est, & qui coram mundo te confundere potest.

3 Dynasta Gangulphus erat, corporis valentis, animi, fortunæq; bonis abundans, & placuit Deo. Ad Deo placendū necesse non est vitam agrestem, austeram, & eremum redolentem ducere, potes esse bonus & dives, probus & Urbanus, honoratus & humilis: quinimò sæpe fit, ut quod sanctiorem præ se fert austeritatem, vanitas sit & durities cordis, mansuetudini Christi repugnans.

S. EPI.

S: EPIPHANIUS
EPISCOPVS.

12. Maii.

*Si adhuc hominibus placerem,
Christi servus non essem.*

ad Galat. cap. 1.

Juvat suavitatem divinæ circa teneram ætatem providentiæ in EPIPHANIO agnoscere. Is Phænix gente, sectâ judæus, patrem decennis amisit. Accedente ad orbitatem egestate, equum indomitum à matre jussus vendere, vitium ejus clam non habuit; donatus ob candorē liberaliter etiam in Christianum incidit Cleobium nomine, cujus aspectu efferatus equus EPIPHANIUM excussit, felici casu; Cleobius enim invocato Christi nomine afflictum erexit, calcitronē occidit: ea prima scintilla pectori incidit Jesu olim amore arfuro; Sed nimirum eam facile Tryphon suffocasset Hebræorū antesignanus, qui Epiphanio adoptato eundem sibi generum desponderat, agrè ex his pedicis extricandum, nisi eas Tryphonis & filix mors incidisset. Commodum deinde equitanti

Luc.

S Lucianus Monachus se obtulit, qui ad pauperis preces veste se expolians, extempló togam puram è coelo accepit. Ea causa Epiphatio fuit, ut se homini imbuendum permitteret. Numine tam propitio, ut Episcopus ad Lustricum fontem properantis vultum radiare, coronamque imminere capiti cerneret. Lætis initijs vita omnis consentanea fuit. Famem, sitim, morbos, Dæmones, mortem, cæteraq; orbis mala nemo eo potentiùs coërcuit. Hæreses, pestem his omnibus capitaliorem, stylo confixit. Miretur viventis miracula juvenus, unum modò, quod jam examinis edidit, imitetur. Improbum hominem, nudum corpus inspicere tentantem, calcè à se repulit, verecundiæ etiam post mortem retinens, quæ hodie ferè omnium virtutum prima moritur.

Ex Metaphr.

M E D I T A T I O

De perverso hominibus placendi studio.

I. **N**E credas, posse te omnibus placere ac satis facere; Christus ipse unicuiq; non placuit. An non quotidiana est de Deo querela? Serenam
 cœlum

ecclum petit viator; hortulanus pluviosum: quantum in te est, fungere officio tuo, nec sis sollicitus, quid dicturi sint alii, cum eorū dictis non futurus sis infelicioꝝ, ea si Christiano ac forti animo despexeris.

2 Homines sæpe vituperabunt sanctiores actiones tuas, laudabunt verò imperfectiores: Christianam si colas humilitatem, dicēris ignavus; si pietatem, hypocrita; contra verò prodiga bonorum effusio, liberalitas; jam fucatum virtutis specimen, probitas huncupabitur. Quis jam fidat iudiciis hominum, qui vitium laudibus, virtutem conviciis prosequuntur? An sanus est, qui vult à stultis laudari, & ægrè patitur, ab iisdem contemni?

3 Nullum vel levissimum peccatum admittas, nullum omittas pium opus, ut placeas hominibus; tu hæc in virtute constantia probabitur sapientibus, tamen si displiceat improbis, ac insipientibus, quorū iudicium parvi fecere debes. Facilius (ajebat Arsenius) Deo sit satis, quàm hominibus, quia unus est, & constans, plures verò sunt homines, & inconstantes. *Beata esset nostra conditio, si tantum præcepta Christi, quantum populi sibi vereremur.* Paulinus.

S. JOANNES SILENTIARIUS.

13. Maii.

Omnis immunditia, aut avaritia,

hæc

nec nominetur in vobis sicut decet
sanctos: aut turpitudine, aut stulti-
loquium, aut scurrilitas, qua ad
rem non pertinet: sed magis grati-
arum actio. ad Ephes. 5.

Diceretis idem iam esse, IOANNEM & MA-
RIÆ amatorem. Certè talis fuit ille IO-
ANNES, quia taciturnitate nomen habet.
Etenim magnarum opum hæres, earam hæ-
redem esse MARIAM vivus voluit, nobilissi-
mo in ejus honorem templo exstructo: ipse
viram cum alijs Deo Deiq; Matri devotam
egit, tanta animi integritate, ut nudum, quo
ad vixit, nunquam se aspexerit, vel hac una
sanè verecundiâ virgini charus. Ad insulam
subinde omnium votis præterquam suis vo-
catus, Hierosolymam abiit, ibi cum stellam
cruce inlignem vidisset, audissetque vocem,
qua præcuntem sequi subebatur, memor,
quàm bona Dux stella jam olim fuisset, ex-
templo in viam se dedit, nec aberravit, nam
rectâ in cœnobium amplissimum venit, in
eoque VII. annos; in spelæo deinde IX. alios
silentio traduxit. Hinc egressus & viarum an-
fractibus implicatus à cœlitibus cõ iterum
repor-

reprobatum & contra incursiones Saraceno-
rum à leone est defensus. Tandem ad cœno-
biū reversus & post multos annos ab Angelo
proditus, Caryotā in petram abjecit. Et ecce
continuò hæc simul radices, simul germen
agere, tum frondes totā ædiculā explicare &
post tertium denique diem fructum ferre.
Abiit deinde Joannes ex humanis Anno M
LVIII. ætatis CLX vir, qui vel tacendo me-
ruit, ut omnis de illo ætas loquatur.

Ex Metaphr.

MEDITATIO

De vocatione uniuscujusq.

1. **C**UM hic Sanctus Deum rogasset, ut viam sa-
lutis sibi indicaret, vidit stellam in modum
Crucis radios effundentem, & audivit hæc verba
(HOC LUMEN SEQUERE) Hinc tria docemur: Pri-
mum in dubiis quibusque, maxime in iis, quæ
pertinent ad vitæ generis electionem, à Deo con-
siliū petendum esse. Hæc electio res est maximi
momenti, & ab eâ cum vitæ hujus tranquillitas,
tum futuræ felicitas pendet. Pete, sequere divi-
nam lamen, ducet te ad locum, & vitæ institutum,
quod salutis tuæ congruet magis. Si Deo inconsulto
aliquam amplexus fueris vitæ conditionem, mer-
cedem ne speres.

2. Hæc stella Crucis speciem habebat. Elige,
quod volueris vitæ genus, invenies semper cru-
cem

sem. Sic igitur habeto, vitæ statum, ad quem vo-
 caris, Crucem tuam esse; quisq; suam habet; ne
 putes habere te graviolem, sua cuiq; videtur gra-
 vior. Domine cum nolueris de tuâ Cruce descen-
 dere, an ego de mea descendam?

3. Stellâ duce, relictiis omnibus Christum secu-
 tus est; audi Jesum vocantem, stella quidem est
 vocatio; si eam sequi nolueris, convertetur in co-
 metem, qui tibi animam agenti terrorem incutiet.
 Erecto ac generoso animo mundum despice, qui
 tam vana largitur bona, ut neminem, nisi vo-
 lentem decipiat. *Nisi nosmetipsos decipimus, penè mun-
 dus decipere non potest.* Eucher.

S. PACHOMIUS ABBAS.

14. Maii.

*Contendite, intrare per angustam
 portam, quia multi, dico vobis,
 quarent intrare & non poterunt.*

Luc. 13.

Dabit Christianus Adolescentis vietas
 stygi manus? cum PACHOMIUS pondû
 Christianus Deemonibus fuerit formidini,
 ut presente eo vocem mittere non sint

X 2

ausi

ausi, obstupefacti indole ad nutum Numi-
 nis aperta: cuius notitiam simul atq; hausit
 continuo carni bellum indixit, quam ut
 generosius sperneret, caelesti ambrosia, quae
 Christo nomen dedit nocte, est pastus. Mo-
 nasticis tyrociniis posito, iussus est divini-
 tus coetus cogere ex formula, quam exara-
 tam ab Angelo accepit, erudiendos. Quos
 inter celeberrima Theodori est memoria,
 qui clara stirpe genitus, tota in epulas ef-
 fusa domo, hac cogitatione ictus est; Mundi
 fabularum quam tristis sit catastrope, &
 cum personatis gaudiis larva detrahitur,
 quam non iuvenit ad tempus insaniisse.
 Secutae sunt lacrymae, quas mater conata
 abstergere, nec fugae quidem consilium filio
 eripere potuit. Quin adeo cum diu per-
 quisitum delitescere apud Pachomium inali-
 disset, armata Episcoporum epistolis irru-
 pit in dicata sancto illius otio nemora, &
 suas admitti delicias prope cum convivio
 postulavit. Pachomius Theodoro copiam
 facit salutandae matris, quam se ille usurum
 negavit, ni sponderet Pachomius eum
 sibi congressum olim fraudi non fore; quam
 in rem cautus senex fidem dare non susti-
 nuit. Priusquam quieti se daret, fessa diu-
 no

no labore membra sigillatim solabatur,
 quantillum enim superesse jam jam in bea-
 titatis rosâ collocandis? Quid ad hæc suavi-
 ludû nostri, qui nunquam in Dei causa se
 meminere fatigatos!

Ex Metaph.

M E D I T A T I O

*De arcta via est, que ducit
 ad Cælum.*

1. **A**Rcta est via sanctitatis, angusta porta cœli,
 & pauci admodum per eam ingrediuntur;
 Vive, ut pauci, si vis cum paucis salvari. Sequere
 pusillum gregem; turbam si sequaris, periisti. Cave,
 ne captus hujus mundi deliciis, ab arcta ad spatio-
 sam viam deflectas: Quia presentia gaudia sequuntur
 æterna lamenta, hic vanam lætitiã fugite, si illic flere
 formidatis. Greg.

2. Elige securius, non commodius vivendi genus.
 Cum iter facturus es, soles viam tutiorem, & navem
 validiorem eligere: ut quid minus prudens es in ne-
 gotio salutis? ut quid ambulas per viam latam illam
 quidem, sed admodum periculosam? tot homines
 æternum perire, quod quæserint divitias, honores,
 delicias; an fors tua erit felicior?

3. Via Religiosorum & augustior, & tutior: illi
 quippe procul sunt ab occasionibus peccandi, cum
 longè à se repulerint divitias paupertate, castitate
 voluptates, & obedientiã suam omnino voluntate

X 3.

Dee.

348. [Ode
Deo consecrârint. Si ambulas in hac viâ, laudare
Deo gratias age, quod in arctâ viâ sis, quæ ducit
ad vitam; sin autem aliam viam inieris, compone
mores tuos cum moribus Religiosorum: imitare,
quantùm potes, eorum paupertatem, castitatem,
obedientiam. Cùm idem credas, quod Religiosi,
quid idem, quantùm tua in vocatione
potes, non facis?

S. DYMENA V. & Mart.

15 Maii

*Non ergo regnes peccatum in vestro
mortali corpore ut obediatis con-
cupiscentiis vestris. Ad Rom. cap. 6.*

Nisi frontem unâ cum oculis amisit im-
probus amor, erubescet ad infamiam fa-
cinoris, quod ipso auctore sub annû sexcen-
tesimum, gestum est. Regebat eo tempore
Hibernos rex barbarus, nulla se nisi amore
odiòq; filia nobilis. Viduatus conjuge filiam
in thorsu pellexit, eâ quidem formâ, cui com-
parari eo ævo nulla poterat; sed ijs moribus,
ut non modò iuustos amores abominaretur,
sed præter Deum nubere omnino nemini in
animum

animam induceret. Vim tamen verita ab
 infano amatore, cum Gereberno sacerdote
 fugam ultra mare cepellit, & in agro Ant-
 verpiensi sanctioribus se curis addidit. Pater
 eodem paulò post appulsus, cum illâ ipsâ
 imagine lignatum argentum exponeret, quâ
 obsonator filix hospiti satisfecerat, eiusdem
 indicio filia prodita est. Fœda omnia sunt,
 quæ deinde procus dixit, vel carnifex fecit;
 malum tamen spectare sanguinem, quam
 audire verba improba & lenonia, quibus
 cum nihil moveretur, Gerebernus primùm
 Tutor pudicitix illius, ferro obtruncatus
 est: Virgo deinde Parentis ense cecidit,
 nobilissima castitatis victima. Funus coelum
 curavit, neque puduit Angelos vespillonũ
 officium occupare, allatis è candido mar-
 more urnis. Virginis honori hoc amplius
 datum, ut nomen eius gemmæ Angelus in-
 scriberet: eo argumento agnovit posteritas
 Dymnam vocatam fuisse. Ite nunc Alexan-
 dri, & manus quibus pingi fingique velitis,
 quærite. Castitas celatores Angelos habet,
 & tamen, heu, quàm pauci cupiunt
 hoc calculo notari! Ex *Serie*.

M E D I T A T I O

De infano amore.

1. **N**emo non debet timere tentationes Angelis
 carnis, quoniam præstantissimos cujuslibet
 ætatis, sexus, conditionis aggreditur. Cave tibi
 non superas sapientiã Salomonem, non Davidem
 pietate, non Sacerdotate Gentilium Apostolum; hunc
 quidem aggressus est, alios devicit. Adrigila: nun-
 quam & nusquam securum te credas; semper esto
 paratus ad pugnam illam duram ac molestam: Nam
inter omnia Christianorum prælia, sola sunt dura prælia
castitatis, ubi quotidiana pugna est, rara victoria. Aug.
 2. Ne pateat cordis tui aditus huic blando tyranno,
 qui auribus & oculis ingressum sibi molitur. Omnia
 si videas, & audias, si libros omnes legas, impuris
 cogitationibus brevi vexabere, & fortè vincèris.
 Exemplo S. Job percute scelus cum oculis tuis, ut
 ea duntaxat aspiciant, quæ licet concupiscere.
 3. Si vexeris impudicitiz Dæmone; memento,
 Christum dixisse, hoc Dæmoniorum genus solis je-
 juniis & orationibus fugari posse. Castiga corpus tuum
 cilicio, flagellis, jejniis: Iesum invoca, & purissimam
 eius matrem. Castitas est donum Dei, pete hoc do-
 num à Domino, & agnosce, quem Deus non adju-
 verit, continentem esse neminem. Ubi primùm sen-
 ties libidinem aggredientem, citò resiste: periculum
 in morâ. Exemplo S. Dymphiz fuge occasiones
 peccandi.

S. UBALDUS

S. UBALDVS Episc.

19. Maii.

*Quod si oculus tuus scandalizat
te, erue eum & projice abs te.*
Matth. 5.

*Bonum est tibi cum uno oculo in vi-
tam intrare, quàm duos oculos ha-
bentem mitti in gehennam ignis.*
Matth. 18.

UBALDUS Isfulam unam alteramve fugã
declinavit, tertiam eamque Eugubii in
patria non potuit effugere, Summi Pontif.
auctoritate captus. Geminis cœcis cum o-
culos restituisset, tertium idem roganti,
docuit libenter oculis carere, qui animum
excecaturi essent. Hostes innumeros patri-
am obsidentes omnes egit in fugam, cum
unicum ipse signum crucis explicasset. Pacis
ingeniosissimus artifex, contra injurias cautè
inexpugnabilis fuit. Sed utriusq; documen-
tum cape. Scissa in factiones geminas Urbs
pugnabat in viscera sua. Adest UBALDUS
medius inter saxorum & telorum ictus, cadit

Y S

deinde

deinde. Hic verò omnes arma abiecit,
 damnare discordiam, quæ parricidas Cives
 fecisset. Tum deniq; à piè simulatâ morte
 surgere UBALDUS, & partam unius, eâque
 Indicrâ morte, pacem civibus gratulari. Ul-
 timæ fortis homo & unico suo cemento
 memorandus, Pontificem in calcis scrobem
 dejecerat, non tam coeno, quàm ignomi-
 niâ aspersum. ilicet amici civesq; scelus
 urbe exigere, & ipsas improbi domini ædes
 velle demoliri. At agebat UBALDUS gravio-
 ri supplicio vindictæ litandum. Sese vin-
 dicem sui, exemplum editurum, quod urbs
 miraretur. Interea pro tribunali sedet, adest
 reus vel se iudice nulla non morte dignus.
 Ergo sententiam profert Ubaldus, & inaudi-
 to supplicio reum damnat ad osculum. Non
 multo sanguine, ais, se vindicavit, sed certe
 ut non nemo inquit, rubore multo.

MEDITATIO

*Quid aspicere debeamus, ne oculus
 depradetur animam.*

1. **D**Uobus cæcis S. UBALDUS oculos resti-
 tuit, tertio, ne morti fenestram aperiret
 in animam, negavit idem præstare. Ne tu geminas
 fenestras aperias, disces quæ aspicienda sint. Aspice
 mundi

mundi calamitates, tot pauperes, afflictos, infirmos & morientes. Age gratias Deo, quod mala eadem promeritus non patiaris; condole patientibus, & erubescere quod ad minima mala tam his impatiens.

2. Aspice & perpende, quod ea, quae in mundo sunt, foris nitent, introsum misera sunt. Seneca. Purpura & aurum quantas tegunt miseras? curas, turbationes, animi? &c. Et si modo ridere vides, & ducere in bonis dies suos, in puncto ad infernum descendere, si a summo bono per transitoria ejusmodi aversi fuerint.

3. Si Spiritu superbiae tentatis, Matrem terram aspice, & dic mater mea tu es, & operimentum meum ac convivae vermes erunt; quique modo supereminere volo, brevi omnium pedibus in sepulchro calcabor: quod si vero affligeris, aspice caelum, ubi post lacrimas & miseras bona sempiterna. *Ulla petenda sunt, quae nec inventa transeunt, nec adepti deficiunt.* Gregor.

S. TORPES Mare.

17. Maii.

Quae sursum sunt querite: ubi Christus est in dextra Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram. ad Col. cap. 3.

R Aram avem vides & albo simillimam corvo, aulicum, inquam, pium ex aula Neronis.

Neronis impii. TORPES est, D. Paulo fami-
 liaris, & in fide, quemadmodum fertur, An-
 geli discipulus. Hic Tyranni æmulam cœlo
 machinam, & quæ ille mortalibus velut alter
 in terris Jupiter illudebat, solis precibus de-
 struxit, flumineque cœlos vanissimos & or-
 go merfit; ilicet Nero Jupiter hoc damno
 multatus graviter detronuit, omnibusq; pœ-
 nis in Torpetem fulminavit, sed ex pelvi nam
 alapam primò Sabellici Judicis generosè de-
 voravit: columnæ deinde alligatus tortusq;
 crudeliter, Samson ipsissimus fuit. Quidē
 quod corruens columna exitium attulit
 Sabellico, salvo & incolumi nostro Samso-
 ne. Ergo Silvius Sabellici filius hæresq; idem
 crudelitatis, rotæ radijs lacerandum illigavit,
 bestiis objecit, semper illæsum, quæ res Evel-
 lio consiliario Imperatoris persuasit, ut sibi
 confuteret, fidemq; Christi amplecteretur
 tot miraculis probatam. Ambo itaque cæsi
 securi sunt. Porro TORPETIS corpus fati-
 centi naviculæ impositum, additusq; gallus
 & canis, ut illud vel his, vel cum his pisci-
 bus foret esca, Sed Angelo remige in Hispa-
 niam appulsum, excepit Cœlerina honestissi-
 ma matrona non aliter, quàm opes ex divite
 India appullas, tumultuq; augustissimo dō-
 navit

navit. Addidit deinde pietas Christiana tem-
plum. Nam cœlum nuper jam Superi dede-
rant, ex quo ille hodie etiam ridet inimicū
Neronis cœlū. Ex Bar. Pet. Nat. & rom. Gant. lib. Cap.

MEDITATIO

De studio cœli obtinendi.

TORPES ex Aula Neronis sanguine suo ad-
scriptus est Aulae Dei. Nullibi ferè mun-
dus plures Martyres educat, quàm in Aula, sibi,
sed non Deo. Quantum fatigat gratiarum adu-
latorium aucupium? quantum torquet ambitio?
quantum urit astus invidiæ? quantum lancinant a-
culei verborum presso dolore dissimulandi? & in
comparatione istorum quotus homo vel minima
patitur, ut aggregetur aulae cœlesti, & favore fruatur
Regis Regum?

1. S. TORPES vitream Neroniani cœli machinam
orando fregit. Favor, honor, voluptas, quibus te
beatum fingis in hoc mundo, quid sunt nisi terrestre
& vitreum cœlum? & vitro cur adeo inniteris? nec
cogitas de cœlo perenni in altera vitâ? cujus incolâ
esse non poteris, nisi amorem hujus deposueris.
Hanc veritatem leges in octo beatitudinibus cœu
scalâ cœli confirmatam. *Quicquid quesiveris in terra,
deterius te est, qui ad cœlum creatus es.* S. Aug. in psal 32.

3 S. TORPETIS Cadaver post tormenta plurima &
mortem, habuit navicularium Angelum, qui illud in
Hispaniam advexit. Felicissimè ad portum eternita-

ris appelles, si beatam Virginem ac S. Custodem Angelum aliosque Patronos periculosa navigationis tuæ ducēs habueris. Quo studio eos tibi concilias?

S. ERICUS

Rex Sueciæ

18. Maii

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Mat. c. 5.

Sueciæ Rex ERICUS, divorum Regum imagines ante oculos suos velut speculum posuit ipse Regum oculis hodie proponendus. Patriæ & pauperum præcipuè pater, libidinis æstus glaciali aquâ suffocavit. Multæ pecuniariæ tertiam partem, quamvis ultrò oblatam, noluit tamen ærario inferri, ne, quod amat fieri, sibi potius consulere, quam iustitiæ videretur. Bella gerebat non tam ut suum, quam ut Christi regnum amplificaret. Itaque cum Finlandiæ fidem victor intulisset, cæsis hostibus lacrymis fertur patentasse, quòd victis aliter via ad salutem non potuisset sterni, quam per sociorum stragē. Sed vide obfirmatum ad divina animum.

Sacrificanti

Sacrificanti aderat die Christo triumphanti
 sacro: Interea cum omnibus copiis imminet
 Henricus Suenonis Filius Daniz Regis. Atque
 conclamant alii, & sive pugnae ducem, sive
 fuga regem exposcunt, At hic, *stulte* inquit,
me litate, reliquum obsequii alibi DEO persolvemus.
Poenam in caelis cantaturi. Itaque sacris ad finem perti-
 nax immoratur. Tum demum cruce fronte
 armatus, aciem subit & pugnam, Numineq;
 ita volente, cadit etiam. Ceterum quo loco
 sanguinem fudit, fons continuo exortus
 aquas fudit passim agris salutare. Illud penes
 excidit; cilicium ejus thorace asservari re-
 gii sanguinis purpuram etiam hodie rubentem,
 toricam, qualem hodie in Principum ar-
 mamentariis raro videas.

Ex vite Aquilonia Joannis Vastorij.

MEDITATIO

De iustitia.

DEo redde, quod Deo debes, honorem vi-
 delicet, ac obedientiam, ut Regi; ut Patri
 amorem, & gratiarum actionem, ut benefactori.
 Quis tibi plura dona dedit? & quis plura daturus
 est? Sane æquum est, ut ipsum ames ante omnia,
 & prius, opum, honorum, ac vite tue jacturam fa-
 cias, quam ejus benevolentiz. Quo modo te geris
 erga Deum? cave tibi, nisi enim justitiz ejus satis-
 feceris

feceris, in furore suo arguet te, & in ira sua corripiet te. Ah! Domine, ne intres in iudicium cum seruo tuo. David.

2. Debes obedire Præpositis, ac Superioribus tuis ut Christo; debes amare æquales, ut fratres; debes diligere inferiores, ut membra Jesu Christi. Bene sentias de omnibus; omnes verò de te sentiant ut voluerint, dummodò tua conscientia non te accuset coram Deo. *Senti de augustino quidquid libet, sola me in conspectu Dei conscientia non accuset. Aug.*

3. Redde tibi, quod tibi debes: recumbe in novissimo loco: accusa, damna peccata tua: cum quis te accusat, rarò admodum loquere, ut te ipsi excuses. Fac, ut corpus pareat animæ, anima rationi & ratio Deo: en! præscriptum à Deo iustitiæ modum / Si de tuis factis, ut de alienis iudicares, parum, aut nihil esset, quod in te alii reprehenderent.

S. PETRUS Cælestinus.

19 Maii.

Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Matt. 5.

UNicum modestiæ miraculum PETRUM CÆLESTINUM vides, qui exemplo antehac invisio, postea nunquam repetito, summo se pontificatu sponte abdicavit, immortalis memoriæ dignus, etsi eo facinore solo
incla-

inclaruisset: sed idem tenor totius vitæ fuit,
 cuius, quia partem longè maximam in locis
 solis exegit, non revocabimus ad illam nor-
 mæ mores delicatæ juventutis, contenti, si se-
 cum puero patiantur componi. Simul ac fari
 potuit, illud aureum matri promissum incul-
 cabat: *volo esse bonus servus Dei*, quod ipsum mater
 jam tam spe præceperat, cum in recens nato
 multa Religiosi insignia deprehendisset. Er-
 go, quantumvis arctis domi rebus, in ludum
 tum litterarium misit, patre nuper mortuo
 consilium de cælo probante, ut totius ter-
 rarum orbis bono susceptum. Incidère ta-
 men remora per multa, quibus omnibus per-
 ruptis mater in filioli oraculo acquievit, tum
 quidè constantissimè, cum pædagogū discenti
 se Christus offerret, vitus nonnunquam de
 cruce ad eum descendere, ut mirandum non
 sit, Angelos eam operam non dedignatos:
 & hi quidem etiam morum ab eo rationem
 exigebant, nunquã impunè delinquere eum
 passi. Jam Virgo Deipara curam valetudinis
 ejus egit & alterò oculo lippientem recreavit.
 In hoc contubernio educatus homines pe-
 nitus deseruit, uno ejusdem propositi loco
 comitatus, cui tamen constantia defuit. PE-
 TRI studijs Angeli applauserunt, quos hodie

Z

rarius

rarius audimus, quia aures nostræ sirenum
sibilis occupatæ Angelis non parent.

Ex Surto

MEDITATIO

De triplici gradu ad perfectionem.

1. **S**Uz quisque vocationis perfectioni studere
debet. Tu, qui in mundo versaris, Dei saltem
& Ecclesiæ serva mandata: à peccato mortali dili-
genter abstine, vaca bonis operibus; hæc si feceris,
salvus eris. An est aliquod Dei mandatum, quod vires
tuas excedat? Dæmon, libido, avaritia, longè difficili-
ora imperant, quibus tamen sedulò morem geris,
Hæc Diabolus præcipit, & auditur. Tertull.

2. Qui vult perfectus esse, non solum mandatis
Dei obtemperare, sed & Christi consilia sequi debet.
Paupertas, castitas, obedientia à rebus terrenis nos
sejungunt, & tribus quasi vinculis nos conjungunt
Deo. Tu, qui hæc vota emisisti; tu, quem Deus
singulari gratiâ vocavit ad domum suam, servasne
omniò, quæ tam solemniter vovisti?

3. Qui ad apicem perfectionis contendunt, man-
datis, & consiliis non modò parere debent, sed &
sacris quibusdam motibus, quibus significat Deus,
quid potissimum velit. A Deo ad maxima destina-
ris. Audi, quid dicat, cum interdum loquitur tibi
ad cor: ne resistas gratiis ejus singularibus. Non
sufficit, ut declines à malo, oportet etiam, ut facias
bonum, & illud facias quàm poteris perfectissime.
Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Jacob

S. BER

S. BERNARDINUS

Senensis.

20. Maii.

In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

ad Tit. 2.

BERNARDINO Puero aras extruere, quæ ad populum dici pro concione audierat, ad pueros dicere, ludus erat, qualem nunc serium putas fuisse? Verecundia tantâ fuit, ut, cum inimicæ castis auribus voces baccharentur, ad quamcunq; coronam accederet, illud statim audiretur: *Missa ist-hac nunc facite: siquidem BERNARDINUS adest.* Tantum apud viros potest puer verecundus! Certè puer ejusmodi verba pretextata in viro alapa castigavit, docuitq; frontem effrontem vel invitam erubescere: in alium ejusdè culpæ reum totam pueroiû globum coëgit, qui lapidibus scelus urbe prosciberent. Fœminas verò ex animo omnes præter Mariam deleverat. Hanc unam ille unicè amare, ad

X 2

huius.

hujus effigiem pro porta urbis vigilantem
 quotidie in genua accedere; irridente ne-
 quicquam proterviore pueritiâ, cum virgo
 arrideret. Jam ubi inter discipulos Magni
 Francisci annumeratus est, ea fuit dicentis
 pro virtutibus contra vitia libertas, is ardor,
 ut ad cum aleas flammis astutandas omnis
 urbs comportaret; adeo ut illi, qui his con-
 ficiendis vitam sustentârat, ultima paupertas
 immineret, nisi eidem autor Bernardinus
 fuisset, nomen Iesu deinceps tabellis inscul-
 pendi, quo factum brevi est, ut ditesceret e-
 tiam. Ipse divus, cum de nomine Iesu sæpe
 tapitus diceret, supra caput suum id ipsum
 quandoque conspicuum habuit Sole splen-
 didius. Superi! quis unquam clarior ex-
 titit concionator! *Ex Surio*

MEDITATIO

In vitam S. Bernardini.

1. **A** B infantia tam verecundus fuit, ut si quan-
 do verbum minus castum cuiquam tuorum
 sociorum excidisset, statim erubesceret Solo suo con-
 spectu liberioris vitæ hominibus pudorem incutebat,
 eosdemque modestè monere solitus erat, ne talia dice-
 rent. An idem facis? cum quis in congressibus coram
 te obscena verba dicit, fidenter eum argue, si per
 autho.

authoritatem potes: fin minus, erubescere, tace, ex
 silentio tuo improbus cognoscet peccatum suum.

2. Ibat quotidie in adiculam B. Virginis; tu, quo
 cultu Mariam veneraris? promissisti, te nihil factu-
 rum esse contra ejus honorem, fra promissis tuis.
 Ad hæc quotidie solve Mariæ, quod ultro Mariæ de-
 bere voluisti, hoc est, nixus genibus ante ejus ima-
 ginem absolue diligenter & constanter certum pre-
 cationum pensum, quod tibi ipse in honorem ejus
 imposuisti. Memento Jesum nihil Mariæ, & Mariam
 nihil servis suis, denegare.

3. Tanta pietate Sacram Jesu nomen colebat, ut
 illud sæpius inter concionandum laudaret, ostende-
 ret populo, & ferè semper cordi suo admotum ge-
 staret. In tentationibus invoca potentissimum Jesu
 Nomen. Utere hoc nomine tanquam clypeo, &
 tanquam gladio ad resistendum. Quàm suave est
 nomen Jesu! Quàm potens ad pellendum dolorem
 ac mœrorem? *Tristatur aliquis? veniat in cor ejus*
Jesus. Bern.

S. HOSPITIUS Conf.

21. Maii.

*Nolite judicare ut non judicemini,
 in quo enim judicio judicaveritis,
 judicabimini. Matt. 7.*

HOSPITIUM qui vidisset, omnibus eod-
 pertuam

pertum sceleribus crederet; qui nōisset, simu-
 lachrum esse virtutis pronūciaret. Tanti est,
 Bonu n virum ex cultu corporis, an animi
 æstimes. Apud Nicensem Gallorum urbem
 alta abditus turri, onustus ferro, omnique
 reorum squalore deformis, raro cum homi-
 nibus commercio, cum Superis æterno age-
 bat, quibus monentibus, iratum Gallis
 Numen, & Longobardorū irruptione scelera
 vindicanda esse intellexit. Aliis autor fugæ
 factus, ipse ergastulo non excessit, & barbaris
 per urbem grassantibus in conspectum se
 dedit: ij pro malefico habitum ad eadem
 deposcunt: jamque ferrum supra caput erat,
 cum repente percussoris brachium obri-
 guit, quod Hospitius signo crucis contra edi-
 to correxit. Secuta inde viri æstimatio, hau-
 sta ab eo præcepta salutis, quæ, qui in aures
 duntaxat admilère, diro omnes lethi genere
 perière. Ultimo ante mortem triduo demi-
 sibi vincula passus est: quem cum toto cor-
 pore à vermibus depastum non nemo mise-
 rarerur, negavit illos sibi convivas graves fu-
 isse: eorum morsuunculis excitatum se ad
 amandum Deum, non debuisse suis moni-
 toribus cibum invidere. Simul tamen atq;
 beatum cœlo spiritum reddidit, totum exa-
 men

men disparuit, mirâ erga mortuum reveren-
 tiâ, ut appareret, in vivum ex ejusdē imperio
 peccasse. Sed condonemus hoc morti jus, &
 tantâ nutritum curâ corpus cadat in vermi-
 um potestatem. illum vermem time, qui in
 animo nidulatur, & inter æternas flammâs,
 omni Salamandrâ vivacior nunquam mo-
 ritur. Ex Greg Turen.

MEDITATIO
 De temerariis judiciis.

1. **N**E judicaveris quemquam. Quis enim te
 iudicem aliorum constituit? divina tibi
 arrogas auctoritatem, & cum ad externam rerum
 speciem judices, sæpe iniquum tuum erit iudicium.
 Reus credebatur Hospitius, innocens tamen erat.
 Omnes tibi antepone. Aequius esse non potest tu-
 um de alienis factis iudicium. *Temerariis judiciis ple-
 na sunt omnia: de quo desperavimus, convertitur, & fit
 optimus. Aug.*

2. Ne damnaveris fratrem tuum, tamen si factum
 ejus extrinsecus malum videatur; fortè culpâ vacat
 coram Deo; quod si ira pateat ejus crimen, ut de eo
 dubitare minimè possis, ne tum quidem fratrem tu-
 um judicaveris; Dei quippe est judicare. Memine-
 ris sancti ejusdam Religiosi, qui ridebat imminente
 morte, cumque ex eo quæreretur causa ejusmodi
 risus: *Quoniam (respondit) neminem judicavi, spero
 non me iudicatum iri, hoc enim Deus mihi promisit in
 Evangelio.*

2. 4

3. Cura

3. Cū quis peccat coram te, & loquitur de alienis peccatis, vide utrum eadem admiseris; dolo, veniam pete, eorum considera fœditatem, ut ea nunquam committas; si verò nunquam lapsus fueris in hæc peccata, Deo gratias age. Misere fratri tui: ora pro eo. Tu quis es? qui tam improbe, tam procaciter, tam manifesto alienam servum iudicas? redi ad te; discute te, iudica te. Laur. iustin.

S. BASILISCUS MARTYR

22. Maii.

Omnia possum in eo, qui me confortat. ad Philip. c. 4.

Latuit subinde etiam sub militari sago magna virtus & castra theatrū præbuere Christianæ sanctitati. Nunc BASILISCUM inde producimus plurimum palmarum militem, quem afflictum mœrore ferunt, quod accepit pro Maximiano impio Cæsare vulneribus, guttam sanguinis pro Christo nullam fudisset: cū tamen Theodorum Martyrem proximâ necessitudine contingeret, cuius pro fide prælia convitium suæ ignavia facerent, utiq; si virtuti suæ Christus consideret, eius experimentū pridem capturum fuisse. Rarò
ita

ita eum superis exoptulatum est; neque in-
 finuit cœli imperator tam pia militis sui de-
 sideria perire; ultrò eum allocutione digna-
 tus, memorem esse voti sui iussit, & dignos-
 tanta sponcione animos afferre in imminen-
 tem pugnam; cuius ei copiam Agrippa im-
 pius Prætor fecit, qui ferro soleatum, clavis
 plantam penetrantibus, cursu nihilominus
 æquare citatam quadrigam cœgit. Subinde
 à Trajana hospitio acceptus aridæ arbori, sub
 quâ recubuerat, vitam reddidit frondesque,
 credo ne capiti coronæ deessent: fons etiam
 ad pedes Martyris scaturit, hanc vicem red-
 dente terrâ, cum sanguinem ejus bibisset: eo
 prodigio non satis tantum comitum ejus,
 sed perfidia etiam extincta est. Paulò post
 etiam alteri elemento imperavit, devocatoq;
 de cœlo igne, Deorum delubram exussit,
 ipse capite imminutus & in proximum flu-
 men sparsus, maximo & ultimo miraculo ni-
 hilominus ad Beatitatis littus enatavit.

Ex Menais

MEDITATIO
 De magnanimitate ad salutem ob-
 tinendam Christiano necessaria.

Z s

Quid

1. **Q**uid non potuit Basiliscus confortari à Deo? Miles erat & sanctus. Ne dicas in dominatu sum, non possum: in servitio sum, non possum: uxorem duxi, non possum: miles sum, non possum, sanctus esse &c. Nullus est status, in quo cum gratiâ sanctè vivere non possis, modò Deum in omnibus statui tuo familiaribus negotiis primæ curæ habeas. *Primas apud nos curas* (in omni statu vitæ, ad quem vocati sumus) *quæ prima habentur oblineant.* Eucherius.

2. S. Basiliscus Theodori martyris & Cognati sui animatus exemplo erubuit pro Cæsare, & nondum pro Christo vulnera tulisse: meritò aliena exempla accendere debent ad æqualia certamina. *Potuerunt isti & isti, & ego non possem.* S. Aug item: ubi adest Christus aranea murus est; ubi abest Christus, murus aranea est. S. Paulinus de S. Felice. Aude sis, cum gratia Dei superabis difficultates. Quod si verò gratiæ Dei vocanti ad minima pro Dei glorâ facienda aut toleranda non obedis, quid mirum si gratia tibi non detur ad ardua tentanda?

3. Plurimum etiam ab arduis ausibus impedit, quod tametsi meliora bonorum exempla probamus (absit ea perversitas, ut vituperemus) plerumque tamen deteriora facta malorum sequimur. Nunquid te ipsum experiris in te? disce igitur perfectè Syntaxeos Christianæ regulam, *colle Deum, imitare divos, virtutè amplectere.*

S. FLO.

S. FLORENTIUS EREMITA

23. Maii.

Nescitis, cuius Spiritus estis.

Luc. 19.

UT umbra corpus, aurum scoria, aërem nebula obfufcant, ita etiam in viris virtute provectis quod eorum splendore inumbret, reperies. FLORENTIUS asceta famosus, in solitudine sua ursum sibi ad omnia obsequentem raro exemplo habuit; at verò ferale hoc famulitium invidere illi aliqui è vicinia. Quatuor cœnobitæ erant, qui, ut homini malè facerent, bestiam occidere. Sensit FLORENTIUS urfi sui nemini noxij, sibi autem perutilis necem, adeo ut etiã Eutichii Præsulis excusatione nihil placat⁹, percussoribus à deo pœnam sit imprecatus, qui, quantumvis ad propriam offensam tardè irasci solitus, iusti vota mox audivit, & quatuor illi foedâ leprâ percussi sine remedio computruere. Vidit tum demum FLORENTIUS, se doloris impetu abreptum, ipso urfo suo inhumanum fuisse magis. Serò Pœnituit, non ignovisse divino more, sed malum minus majore cumulasse.

& IV.

& IV. hominum, qui feram unam straverant, factum esse homicidam. Atque hæc sancto viro plangendi materies ad mortem usque fuit, timuit nempe, ne implacabilem illic experiretur iudicem, qui in ludentes se tam immitis fuerat. Ex Dial. S. Greg.

MEDITATIO
De dominio affectuum amoris
& iræ.

1. **D**Uobus præcipue affectibus inquietum est cor nostrum, amore & irâ; in utroque inpegit FLORENTIUS. Ursam pro puppâ suâ amavit infantilis in amando Senex: qui cætera omnia reliquit propter Christum, tam tenaci affectu adhæsit deformi belluæ, ut separari non posset sine magnâ impatientiâ. Perpende sis amoris tui objecta & causas amandi, an elevent ad Deum, an in terram animam incurvent & cave scintillam amoris, qui sæpè totum animi thesaurum irrestinguibili consumit incendio.

2. Occiso Urso vir alioquin mitissimus irascitur. FLORENTIUS an putas quia justè irasceris tu? at ursum occidère gaudium meum! Heu quantum damnum pretiosæ (scilicet) belluæ! quàm sæpe putamus zelum esse, & impatientiæ rationi rebellantis affectus est. Discute irarum tuarum causas & observa mansuetissimi Regis monitum. Psal. 4. Irascimini & nolite peccare.
3. Quam

3. Quam grata fuere Florentio Urli mansuetè famulantis officia! Sis à natura ferox (utcunque pretendis, & tuam excusas ingenitam austeritatem) non eris Urlo ferocior: cur non assuetudine mansuescere posses? Sed & cogita S. FLORENTIUM, qui belluam famulantem habuit, sanctius dominium in affectus suos exercere debuisse, tam sancti errore disce etiam primis motibus resistere, ne efferentur animi passioncs. Principium quantitate est minimum, potestate maximum: docet Aristoteles.

S. SIMEON STYLITES,

JUNIOR

24. Maii.

Multi ambulant --- quorum finis interitus est, & quorum Deus venter est --- nostra autem conversatio in caelis est; unde salvatorem expectamus Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostra. ad Philip. c. 3.

Hominem caelestem, an terrestrem Angelum SIMEONEM malis dicere, tantò magis dubitabis, quantò rectius noveris. Vocis parentum concessus, futurae sanctitatis

tis

ris vatem Christi anteambulonem Joannem
 habuit, cui ne quid in victus parsimoniâ
 concederet, jejunia in eunis inchoavit, lacte
 matris ubere, velut ominis causâ, semper ab-
 stinens. Sexto ætatis anno ab hominû con-
 sortio in loca sola secessit, nunquam tamen
 solus, Cœlitibus eadem cum eo ca-
 sas habitantibus. Ex quo tempore, incom-
 moda naturæ vel non sensit, vel inusitatis
 fomentis sustentavit, nectare, vel quocunq;
 nomine appellare lubet, deliciis divinitatis
 pastus. Exacto in hunc modum sexennio, in
 cœnobium immigravit, magnâ Religiosæ
 vitæ commendatione, quam Angelorum
 contubernio, eo factò videbatur antetulisse.
 Sed nimirum illic quoque Angeles reperit,
 haustramque eorum usu innocentiam mag-
 nis prodigiis confirmavit; ut, cum Leopar-
 dum pro sele domestico circumduxit, aut
 cum ad ejus imperium leo puerum à comi-
 tibus desertum, tergo ad socios subvexit,
 quæ Magistro Simeonis ansam præbuere,
 eum ad perpetuam in columnis stationem
 invitandi. Paruit Simeon, atq; corpore juxta
 animoq; supra terram eminens, ex communi
 illius ævi sensu columna fuit sustentans or-
 bem terrarum. Nos, cum hæreamus in luto,
 digi-

digito tamen paramus cœlum contingere.

Ex Men. & Evagrio.

M E D I T A T I O

De anima Immortalitate.

1 **SIMEON** stylites ut conversationem suam
Shaberet & cœlis tantò propinquius, colum-
nam ascendit, sic vidit infra se pessimorum homi-
num felicitatem, & honorum econtta pressuras.
Vidit etiam supra se & perpendit, quæ Deus præmia
bonis præparet in alterâ vitâ. anima mea sta fortiter
ad cœlum erecta, & si pateris in terrâ, audies brevi
Christum loquentem. *Respicite & levate capita vestra
quoniam appropinquat redemptio vestra.*

2. Stetit stylita elevatus à terrâ, ne luto inficeretur
terrestriam bonorum, quæ tametsi maculant, invitè
tamen deseruntur, & quò plura adherent, eò plura
desiderantur. Unde apparet hominem ad ejusmodi
bona creatum non esse, quæ sic inania sunt, ut cu-
piditatem explere non possint. Quàm cupidè à te
quiritur Deus, qui solus est immortalis animæ tuæ
plena satietas.

3 Sis ipsa felicitas in præsentî vitæ statu, semper futura
bona anhelabis, nunquam fatur præsentibus, nec di-
ces *sum usquoquaq; felix.* Eja anime mi! hæc rerum
futurarum desideria, & tuæ in bonis præsentibus an-
xietates ostendunt, quàm contemptibilia sint hæc
omnia præ Deo, quem *Beati vident semper, & videre
sine anxietate desiderant, & sine fastidio sasiantur.* S.
Aug. S. MAR,

S. MARIA MAGDA-
LENA DE PAZZIS.

25. Maii.

*Si quis vult venire post me, abneget
semetipsum & tollat crucem suam
quotidie & sequatur me. Luc. 9.*

Hic è Florentina urbe flosculus etiam.
num integro corpore, viret in ascete-
rio Carmelitarum. Cùm primùm vernatè
cœpit, decennis Viginittatis voto ita candor
rem suam firmavit, ut vel impuritatis um-
bram, dum viveret, ignoraret. Carmeli
inserta viridario, non nisi divinis irrigata
gratijs, V. annis extra Dominicas, aquæ
solùm & panis modico pastu, &, ut liliū
inter spinas sciremus, perpetuis innocentis
corpusculi punctationibus se per omnia aspera
divexabat; interim in cœlum crebrâ extasi
rapta, vidit mundo oculo, quod homo
potuit, nec nisi plena cœlesti rore revertit;
non tamen inter ea solatia defuere tem-
pestates: longo ei tempore cœlum visum
aridum, adeo ei arida & exsucca in orati-
one mens; sed & ad probandam ejus
con-

constantiam divino eam permissu daemones
 variis insultibus, velut, ventorum turbines,
 quatiebant; stetit tamen inter adversa ista
 omnia patientiâ & animi demissione radica-
 tum liliam, & aperto cordis amantis calice,
 coelestem respiciebat sponsum, nec, quan-
 tumvis tot malis pressa, unquam oppressa est
 ejus constantia, quin inter dolores morbo-
 rum perfrequentes cum lecto corpusculum
 langueret, ardebat tamen animus, & cor di-
 vinis flammis accensum restingui aquâ de-
 buit, identidem autem ei in ore erat. *Non mori
 sed pati.* Adeo ei crux præ corona, quam cuncta
 mollet gratuitam, maluit longâ patientiâ
 mercari. Nunc habet gloriosa in coelis, & mi-
 raculis illustris in terris, ubi XLl. ætatis anno
 vivere quidem desijt, sed corpore adhuc in-
 corrupto, necdum desinit florere. *Vita virg.*

Ceparij & Menalog. Carmel.

M E D I T A T I O

De vita S. Mariae Mag. de Paz.

I. **S**Tatim, arque Deum novit, amavit. Oderat
 mundi tumultum utpote inimicum orati-
 oni. Frequens erat in templo coram Augustissimo
 Sacramento, ubi longiorem effundebat orationem.
 Nunquam celestis sponsus aberat ab ejus animo.

A a

Dudum

Dudum nōsti amantissimum Jesum, & necdum cum
amas?

2. Statim atque mundum novit, fugit, contem-
psit, flocci fecit, malle, inquiens in mediis sup-
pliciis esse, quā in mundo. Utinam Christianis
oculis aspiceres dignitates, divitias & voluptates,
hujus mundi. Ah! nihili penderes, quod tanti sit
animalibus hominibus. Cœlum intueri, Cœlum spe-
ra, Cœlum ama, ibi sit cor tuum, ubi verus thesau-
rus. Memento, Deum tibi terrena bona dedisse,
non ut ea adorares, sed, ut despiceres, ipsique con-
secrares. *Terram calcare didici, non adorare, non enim
mihi fas, unquam rebus inanimatis credere, spes anima
mea!* Clem. Alex.

3. Ex assiduitate orationis manabant omnes ejus
virtutes. Hinc purus in Deum amor, hinc odium
in cœtera quæquæ. Præclare de Deo sentire non po-
test, qui ferè nunquam cogitat de Deo, & rarò ad-
modum colloquitur. Ama orationem, quæ cœlesti-
um amor accenditur, & extinguitur cupiditas ter-
renorum. Hæc familiaria tibi sint hujus Sanctæ
verba: *Non mori, sed pati.*

S. PHILIPPUS NERIVS

26. Maii.

*Exemplum esto fidelium in verbo in
conversati-*

*conversazione, in charitate, in fide,
in castitate.* ad Tim. cap. 4.

Magnus esse debuit PHILIPPUS, magnæ
Congregationis Patrum Oratorii Dux
& Author futurus. Natus Florentiæ, amoena
patriæ deseruit, ut Romæ pietatem coleret:
assiduus in sacris, pernoctabat in cœlestium
contemplatione, templa obibat pedes, sæpe
triduo sine omni cibo jejunos, & tum ar-
dens maximè, cum ad aram faceret, ubi non
rarò in aëra levabatur: cor ejus amplitudini
cœlestium gaudiorum angustius, extensis
amplius costis, divinitus dilatatum est. Obla-
tas infulas rejecit sæpius, ad omnia mundi
illustria cœcus, sed eò in divinis oculatior,
vidit arcana pectorum, odore distinguebat ab
impuris castos, spectabiles habuit cum glo-
ria ad cœlum tendentes animas, sed & in S.
Ignatii Lojolæ radiante vultu Sanctum San-
ctus agnovit. Beatiss: Virginem & Custo-
dem genium aspectabiles habuit, futura præ-
vidit, absentibus præsens succurrit, ægris
medicum se præbuit, & vivus mortuum susci-
tavit. Donec & ipse non amplius moriturus:
peracta LXXX. annorū laboriosæ vitæ perio-
do, sacris eadem die operatus, sui fati diu ante

Vates, mediâ nocte migravit ad Dominum,
Gregorio XV. Sanctis assertus
Anno M. DC. XXII,

Nov. Brev.

M E D I T A T I O
In virtutes S. Philippi Neri.

1. **M**irum quantum S. Philippus Deum amavit. Annos natus 23. libris valedixit, ut orationi penitus traderet sese. Rem divinam faciens lacrymas tenere non poterat, erumpebantque continuò ex ejus corde incendia divini amoris. Ex quibus intelligere posses, te Deum amare? An ex frequenti cum eo colloquio? An ex attentione & fervore, quo vacas piis exercitiis? Amantissime Jesu! tantâ cum voluptate loquimur cum amicis; unde tam citò nos tædet alloqui tui? O Deus amabilissime (ajebat S. Philippus) qui amorem tui præcepisti, cur unum duntaxat, tam exiguum cor nobis dedisti?

2. Durissima erat ejus vivendi ratio: jejunabat singulis penè diebus. Integram diem labori, noctem orationi tribuebat. Patienter feras tuæ vocationis labores & mala omnia, quæ vitare nequaquam potes. Adhæc macera corpus tuum, sed in abscondito, ne, si lauderis ab hominibus, aliam fortè non sis accepturus mercedem.

3. Fervorem actionis cum contemplationis tranquillitate sapienter sociarat. **Erat conjunctissimus**

Deo:

Deo: aderat proximo quoquo modo laboranti & familiaribus colloquiis, & appositis concionibus peccatores ad frugem revocabat. Ut quid nihil agis: Dei causa? quia profecto Deum non amas. Nunquam est Dei amor otiosus; operatur enim magna si est: si vero operari renuit, amor non est. Gregor.

S. RESTITUTA.

27. Maii.

Si fortis armatus custodit atrium suum & Luc. ii. cad.

ROMÆ nata RESTITUTA, denata Soræ, nobiles natales nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen Clausa egit, & formam, quam passim Juventus nobilis deperibat, velut ignem custodijt, non jam Vestæ sed Christi Virgo. Hujus illa unius thalamum suspirabat & aliter etiam Nuptæ nomen fugiebat. Interea invidit DEO Sponsam suam, ut solet, Orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At Restituta nuper jam boni Angeli aspectu exhilarata risit rivalem deformem & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc Christo authore ædihus paternis excessit.

fit Virgo Soram abitura, nec tamen sine comite, nam ad latus Angelum habuit, qui toto itinere stipavit euntem. Neque poterat latere famula Dei, publico miraculorum comitatu manifesta. Vix enim ingressa est urbem, & jam morbos migrare fecit è corporibus, quo miraculo proditam nobilem hospitem, nobile hospitium, carcer martyrum excepit, ita Agathio proconsule jubente. Exin scorpionibus cæsa cecinit. VII. dies noctesque sine victu clausa cum Angelis vixit, oblita jam cibi, Angelorum aspectu satiata. Deniq; capite unà cum Cyrillo Episcopo aliisque truncata cælum subit, cum carceris custodes & adeò carnifices miraculis captos eadem viâ nuper jam præmisisset. *Ex Ferrar.*

M E D I T A T I O
De Custodiâ Casti pudoris.

1. **S.** RESITUTA Castro virginitatis tuendo, primò custodem adhibuit verecundiam, quæ *custos virtutum omnium* ita Cicero. *Patens omnium honesti consilii, cætera solennium officiorum, Magistra Innocentia, chara proximis accepta alienis,* ita Valer. Max. lib. 4. c. 5. Quomodo te custode pudore servas à turpiloquiis de harâ Diaboli? à consortiis Veneris & Cupidinis? an exubat hic Castos pudor
 in portis

in portis sensuum tuorum?

2. Defendendo castro virginitatis suæ adhibuit S. RESTITUTA firmum præsidium S. Angeli Custodis. *scandalum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus?* si hoc cogitares tecum, erubesceres sæpe facere in occulto coram DEO & Angelo tuo, quod coram homine non auderes. Disce hos Argos centoculos actionum tuarum verecundè timere, studiosè diligere, etque hanc salvam guardiam tibi instantèr à cælo deposcere.

3. Ut ab externis insultibus inimicorum Dæmonis, & mundi custodiret atrium suum, domuit inimicum domesticum, carnem suam longâ inediâ, plus Angelorum satiata aspectu, quàm ciborum esu. r. Pet. 5. *Sobrii estote & vigilate*: monitum hoc est Principis Apostolorum: abstinentia & vigilantia sunt duæ pedissequæ castitatis; harum famulatio honestissimo tutissimus eris, si prius membra tua in servitorem redegeris. Neque quinque fatuis sensibus tuis Segniter dormire concesseris.

S. G E R M A N U S
EPISCOPVS.

28. Maii.

Hospes eram, & collegistis me: nudus eram & cooperuistis me: in-

*firmus eram & visitastis me, in
carcere eram & venistis ad me.*

Matth. 25.

GERMANO mors nondum nato, ab
Gipsa, quod abomineris, matre; nato
ab avia propinata est, nihilominus inter
domestica latrocinia adolevit, veneno pri-
ore maternis visceribus, sine noxa foetus,
diffuso, altero ad aviae filium delato, æquissi-
mo sine dubio errore, ut, cui Germani hæ-
reditis quærebatur, idem paratam inno-
centi pestem biberet. Germanum contra
Parisiensis mitra exspectabat, & in omnes
morbos jus, benevolentiam Numinis male-
ficia mortalium in ejus, gloriam ver-
tente. Saliva ejus vestium lacinia, stra-
men, quod incubitu pressisset, vim me-
dicam habuere. Hæc alexipharmaca etiam
Reges ambiebant. Glotharius quod virum
sanctum parùm civili pro foribus morâ fa-
tigasset, injuriam febris luit, quâ modestior
factus, postridie S. Viri palliolum osculis
trivit, eoque intestinum ignem extinxit. U-
nicam literulam chirographi ejus delinxisse
Monacho biennium ægro saluti fuit. Fugi-
entem animam illustris foemina filo de viri
veste

veste raptò retraxit. Alteri jam exanimi cum frigidâ vitam infudit. Unicâ voce flammâs sopivit, Crucis signo compedes solvit, populatores agrorum urfos extinxit, totas Dæmonum catervas fugavit. Et tamen hic morborum, & ipsius adeò mortis triumphator, obitûs sui diem non animo modò, sed oculis etiâ ingerere non destitit; hoc ad lecti spondam epigrammate affixo. V. Kal. Junias: id quò spectaret, non ante intellectum est, quàm eodem die, octogenario proximus decederet. Tu, si sapias, ne incertâ horâ te mors fallat: OMNEM CREDE DIEM TIBI DILUXISSE SUPREMUM. Ex Suario.

MEDITATIO

De operibus misericordiz.

I. **D**Ebes operibus misericordiz vacare, non ex consilio tantùm, sed ex Christi mandato, cui nisi parueris, periisti, nec unquam ad Paradisum pervenies. Supremi judicii die ad Regnum vocabitur, quisquis ea adimpleverit; & à Regno arcebitur, quisquis neglexerit; Quia quidquid fit uni ex minimis hominibus, fit Jesu Christo. Quanam est tua in proximum Charitas? Pretiosas alios juvandi occasiones ne tam facilè prætermittas.

2. Nudis vestes dato; Aureo, & serico panno indueris

Aa 5

dueris

dueris; detritis saltem, & neglectis vestimentis Christi membra tegito: ægrotos, inopes præsertim invisito, & pro facultatibus tuis adjuva, Invisite vincetos, si sunt innocentes, digni sunt, quorum curam geras; si nocentes ac rei, gravius tu fortè peccasti; Enimverò si omnes divinæ Majestatis rei carceri mancipandi forent, mundus quantus est, carcer esset.

3. Si propter inopiam bona temporalia largiri non potes, largire spiritualia, hoc est, solare mæstos, ægrotos, pauperes: Visita detentos in carcere. Ora pro omnibus, & gratias age Domino, quòd non opprimaris miseriis, quibus tam multi opprimuntur. Postremo hæreat animo tuo hæc sententia: *Gratiæ misericordiam sperat is, qui misericordiam non fecerit.* Chrysolomus.

S. MAXIMINVS EPISC. CONF.

29. Maii.

*In timore incolatus vestri tempore
versamini. Pet. I. cap. I.*

Hic in Gallia natus, multùm juventutis suæ, non vanis & curiosis (ut modò multorum exiguo morum emolumento est) sed piis ad sacra loca peregrinationibus impendit, quas tamen Treveris videtur absol-
viffe:

viffe: nam Agricius, pius urbis Antistes,
 hospitio exceptum, cum mores eius pro-
 basset, inter Clericos adlegit, Sacerdotium
 contulit, eundemque moriens habuit, ibidem
 in Pontificio munere successorem. Magnus
 apud hunc Athanasius, exagitantibus extor-
 rem Arianis, hospotio, 4 supra annum men-
 sibus, fructus est: & multum per id tempus
 tanti viri consortio in virtute MAXIMINUS
 profecit. Intererat cum alijs Præsulibus Co-
 loniensi synodo, ubi Euphrates loci præsul
 divinitatem Christo negans, anathemate
 fulminatus & exanthoratus est, in sardicensi
 etiam concilio damnationi Arii consensit,
 eamque ob rem per Arii sectatores ab officio
 depositus & exilio mulctatus est. Huic ur-
 sus cum asinum devorasset, virtute divini-
 tatis datâ, imperavit feræ, ut onera asini su-
 biret, eumque cum aliquamdiu itineris co-
 mitem, bajulumque tenuisset, liberum
 dimisit. Tandem post exilij ærumnas in pa-
 triam redux quietem animæ æternam invê-
 nit; corpus autem Treviros translatum eti-
 annum ibi multis salutare quiescit.

Ex Martyrol. Gallico Susaj Suffrenus.

MEDI-

De miseris hominis, versantis in terra.

1. **S**I omnino nobis persuasum esset, terram exilium, cœlum verò patriam esse, haud dubiè terram brevi despiceremus, & cœlum, quò ituri sumus, vehementiùs desideraremus. *Neu mihi (inquit David) quia incolatus meus prolongatus est! Paulus verò: cupio dissolvi & esse cum Christo.* Et nos in terrâ diu manere cupimus! & nos plura, & plura bona, non nobis sed hæredibus acquirimus! *Cogitant, quid post se relinquunt, non quid ante se præmittant.* Chryf.

2. Maximè timere debemus pericula, in quibus perpetuò versamur. Plena est hæc vita occasionibus peccandi. Quantâcumque virtute sis præditus, fieri potes mortalium pessimus; & quidem nescis, odionè, an amore in præsentia dignus sis. Abjice te coram Deo & operare salutem tuam.

3. Ignoras ubi, quando, & quomodo sis moriturus, & quod majorem tibi pavorem incutere debet, nescis, an sis de numero prædestinatorum; id namque sciverit nemo, qui nondum audierit sententiam summi Judicis. Quis posset homo christianus sine tremore & sine fremitu veritatem hanc meditari? O nos miseri! exilii locum assiduis lacrymis aspergamus, ac operam demus, ut vita in piis operibus acta, piâ morte claudatur. *Infelices quorum vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio.* Augustinus.

SISA-

S. ISACIUS Conf.

30. Mail.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, Et tardus ad iram.

Epistol. Jacobi, c. 1.

Movebat in hostem Imperator Valens, Mipse DEI longè maximus hostis, ut qui pro Arianis pugnabat, templisque Catholicos arcebat. Occurrit eunti ISA CIUS noster plenus fatidico spiritu & libertate Christianâ armatus monuit, si pacem in imperio exoptares, ne bellum caelo faceres: sique belli portas blandere percuperes, Catholicorum templa prius aperires aliter crederes, cum superis sibi bellum fore, nec nisi sanguine suo & insensu licaturum Marti. Hæc inquam, & similia non semel Isacius occinebat Valenti. At hic molestum monitorem in obviam dumtaxat iussit abjici. Scilicet, si spinæ illæ nunquam aliàs, tunc certè Rotas tulerunt, sanguinèmq; biberunt, quo rectè erubescerent. Et verò ad formosa spectacula tres Coelites advolârunt gestieruntque à spinis Isacium (hoc est Rosam) tollere, qui

qui eadem mox oracula tyranni auribus ingressit. Tum verò cum asservari inter vincula iussit Valens, dum redux è bello victorque otiosè rideret Vatem suum. At hic abeunti illa alterius Vatis verba dixit, *Si reversus fueris in pace, non locutus est in me Dominus.* Enim verò Valens acie victus est & qui fumos vendenti Ario crediderat, fumo ignèque in fuga periit. At Isacius vatis honores tulit. illi urbis portæ ad preces quoties libuit, patuerunt. illum mortuum omnis Constantinopolis tam luxit, ut unicum hominem omnium humeris crederes efferi.

Ex Metaphor. & Menol.

MEDITATIO

De triplici consilio S. Iacobi.

1. **T**Ria sequere consilia, & in multis non offendes. *Sis velox ad audiendum.* Locutus est Deus ore Isacij Valenti Tyranno, nec tamen dictis obaudiit, damno suo & probroso interitu. Sæpe tibi Deus loquitur, ore tum amicorum, tum inimicorum: tuorum illorum consilij, & horum convitijs utere ad salutem. Audi etiam conscientiam loquentem: sed quoties eam vilipendis?

2: *Eslo tardus ad loquendum:* verbis paucis, sed cautè & seriò prolatis Isacius Propheta audiit. In multiloquio autem non deerit peccatum. Si ad verba

tua

tua serid attenderes, tot otiosa, & tot inutilia non effutires: nihil diceres unquam, quod repugnaree charitati & honestati. De tuis laudibus omnino conticesceres. Inquire in te ipsum, & inuenies majorem peccatorum tuorum partē verbis contineri.

3. *Esto tardus ad iram.* Justissimā irā Isacius corripuit Tyrannum; sed impius præcipiti irā & malefanā, Isacium mala sed vera vaticinantem in spinosa dumeta immerfit: ubi rosas patientiæ collegit Propheta, sæpius iram nostram damnaremus, si ejus causas perpenderemus. Nunquam sanctius irascimur, quàm nobis ipsis, si peccavimus. Si autem in proximum iram effuderimus, aut verbo aut opere, in gratiam maturè redeamus: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

S. PETRONILLA VIRGO.

31. Maii.

Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis

Matt. c. 22.

HÆc S. Petri ex Perpetua matre Martyre, ante Apostolatū genita filia, affixa à primis annis lecto miseram vitam à morbida vivebat; nec ipse parens S. Petrus jam
Apostolus

Apostolus & per umbram corporis sui morborum depulsor, filiam reddere sanitati voluit, salubriorem ei sanitate ægritudinem asserens. Expediit (inquit) saluti animæ ejus, ut ægrotet: veruntamen ut sciatis posse me divina virtute eam sanare: adestum (ait) Petronilla, ministra nostræ mensæ. Surrexit ministravit. Has quamvis à morbo inducias impetraverit, dum mensæ serviret, licentiam tamen morbo reddidit, ut porro lecta filiam teneret. Post aliquot tandem annos morbo jam libera experta est, fidum integritatis suæ custodem morbum fuisse, cum sanam Virginem Flaccus Romanus eques ambiret sponsam, neque enim corporis jam infirmitas obtendi potuit, neque tam nobili proco repudium dare permittebat urbanitas: jamque aderant, qui vel invitam deducerent, paranymphique equites à sponso. At Petronilla Deo jam devota, cum mori mallet, quam homini nubere, quid, ait, armatis opus est? date triduum, quo consultem mecum de subeundo mihi matrimonij iugo; hoc finito, matronæ me ad nobilem thalamum deducant. Sic spatium nata solvitur in lachrimas, coelumque fatigat precibus, donec tertio die sacris munita à Nicodemis

mede Sacerdote, ne Virginitatem perderet, vitam cœlestis Sponsi desiderio exiit. Ita exanime cadaver missæ matronæ invenerunt, atque ex pronubis factæ præficæ pro Hymenæo nœnias decantarunt. In cœlis verò victrici Petronillæ epinicion ob virginitatem propugnatam cœlestes genii modulati sunt. *Baron. l. 1. annal. Ex Bedæ & Vfsuardo.*

MEDITATIO

De morborum utilitate.

1. **D**Eus morbos immittit, ut citius emergamus è peccatis, ambulemus cautiùs, copiosius remuneremur, & mortem diligentius meditemur. Itaque gratias age in morbo, juxta, ac in sanitate; morbi sunt Dei dona, utiliora plerumque ipsâ sanitate, quamvis non ita placeant naturæ. Cum affligeris morbo dic cum S. Job: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?*
2. Exemplo S. Petronillæ ad Deum, ut ad patrem tuum, confuge, eumque roga, ut sanet infirmitatem tuam; vel potiùs imitare Jesum Christum, qui in horto Olivarum oravit Patrem suum, ut transfret à se calix passionis. Pater mi, si sic placitum est ante te, si tuæ gloriæ, si meæ saluti expediat, redde mihi sanitatem; tum omnia Deo permitte, & lubenti animo accipe, quidquid acciderit. Quid multa? pro certo habe, quod, *Quamlibet aspera & dura patiamur, minora patimur, quam meremur.* Salv.

Bb

3. Si

3. Si Deus velit, ut diu in morbo, aliisque mi-
seriis jaceas, gratias ipsi age. Lauda, adora divinam
ejus providentiam; si verò te morbo, alijsque af-
flictionibus expediêrit, memento ideò Dominum
hoc fecisse, ut ipsi servires, quemadmodum Petro-
nilla Patri suo ministravit. *Noli amplius peccare;* ita
Christus monebat eos, quos sanârat. Sta promissis,
nec obliviscâre beneficiorum amantissimi Patris,



J U N I U S .
S. S I M E O N
Confessor.

1. Junii.

*Omne gaudium existimate fratres
mei, cum in tentationes varias in-
cideritis: Scientes, quod probatio
fidei vestra patientiam operatur.*

Jacobi. I. c. v. 2.

SIMEON Siculus adoratis, quas Dei fili-
us sacravit, regionibus, ad amorem pau-
pertatis, quam omnia ejus vestigia spirant,
exarsit.